AMBITVM
ELEGANTIORIS
IVRISPRVDENTIAE

DIMETIENDO

FEVDALEM PROVINCIAM

CAPESSIVIT

ERNESTVS MARTINVS CHLADENIVS

PHIL. AC LEG. D. IVR. FEVD. PROF. PVBL.

ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VITEMBERGAE

APVD IO. IOACH. AHLFELDIVM

LITERIS SCHLOMACHIANIS

CIƆIƆCCXLVII

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

ET

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

IOSEPHO ANDREAE

COMITI IN ZALVSKIE

ZALVSKI

SVPREMO REGNI POLONI REFERENDARIO

ABBATI

VILLARIAE BETNACI ET FONTANETI

STATVVM BVRGVNDIAE ASSESSORI

PARLIAMENTI NANCEIANI CONSILIARIO

ECCLESIAE REGIAE VARSAVIENSIS

PRAEPOSITO

ECCLESIAE CATHEDRALIS CRACOVIENSIS

CANONICO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

Digitized by Google

Digitized by Google

Habet Themis, elegantioris iuriſpru-dentiae Praeſes et Dea, in cenſu ſuo non plebeia tantum, ſed etiam illu-ſtria, nomina. Rapiuntur in Deae cultum, quos ſplendor natalium ſecreuit a populo, quos ſanguinis dignitas Regum admouit ſacrariis. Vt aperte dicam, quod ſentio, in Themidis cenſu eſt Illuſtriſſimum NOMEN ZALVSCIVM: *Gratiam habemus Okolſcio, quod Virum* GENTIS ZALVSCIAE, *qui iuris illuſtris cogni-tione, altero abhinc ſeculo, maxime conſpi-cuus fuit, poſteritati commendauerit. Tum etiam ueneramur, imo ipſa Themis in pretio habet, memoriam Incomparabilis* ANDREAE CHRYSOSTOMI, *Viri, nulla non re, quam in Heroë togato deſiderent, ornatiſſimi,*

 et,

et, inter innumeras laudes, iurium etiam ſcientia, faſtigio, in quo collocatus fuit, digna, laudatiſſimi. Nec eſt, ut ſuperiora ſecula excutiam. Hac ipſa aetate Themidi litatur in GENTE ZALVSCIA, *et nemo religioſius litat, quam* TV, ILLVSTRISSIME IOSEPHE, *quem, niſi ſanguinis et faſtigii dignitas faſtidiret titulos, umbram olentes, elegantiorum Iureconſultorum Principem appellarem. Imo uero appellare non dubito. Eſt enim* ZALVSCIAE GENTI *in more poſitum, ut non faſtidiat, potius ſplendidiſſimis honorum ſchematibus anteponat, laudem et titulos, qui ab elegantioribus literis petantur.* TV *igitur, qui* GENTIS TVAE, *uti Gloriam tueris et auges, ita morem ſtrenue ſeruas, non faſtidies titulum, quem ipſa* TIBI *impertit Themis, quem, communi ſuffragio,* TIBI *defert Reſpublica Iurecon-*

reconſultorum. Et quidni deferat, cum tot illuſtria momenta ſuadeant deferri. Illuſtre eſt, tanta enituiſſe artis legitimae peritia, ut laurea graduque Doctorali uidereris inſigniendus. Illuſtrius eſt, eam REIPVBLICAE *tractandae partem* TIBI *demandatam eſſe, quae Heroëm in arte legitima ſibi expoſcat. Illuſtriſſimum tamen reputatur, quod, in tanto faſtigio conſtitutus, in complexu habeas illas ipſas uirtutes, quibus laus elegantiae abſoluitur. Scilicet Ingenii diuinitatem, quae pridem in peculio* GENTIS ZALVSCIAE *eſſe credita fuit, niſi tot nitidiſſima, quibus orbem literarium illuſtraſti, ſcripta loquerentur, uel una diſerte ſatis loqueretur* BIBLIOTHECA ZALVSCIA, *cuius inter innumera Ornamenta, quibus* SARMATAE TVAE *et exterae gentes obſtupefiunt, primum cenſetur et nobiliſſimum,*

AN-

ANDREAE *et* IOSEPHI *Ingenium. Dicunt, ingenii diuinioris argumentum eſſe, quod delectet.* TVI *uero Ingenii ea eſt felicitas, ut* REGEM, *quem remotiſſima memorabunt ſecula, ut* PROCERES REGNI, *quorum Ingeniis* LECHICI NOMINIS *gloria extenditur, ut reliquam, quae generoſo ſpiritu regitur,* REIPVBLICAE *partem, ut literarium etiam, quem* TV, *cum* ANDREA, *amplificas, orbem, eodem delectari, manifeſta ſit fides. Tum quoque docent, eo elegantius eſſe, quo plus politioribus literis, et longo rerum uſu, excultum ſit, ingenium.* TVI *uero Ingenii elegantiam qui aeſtimare uelit, is aeſtimet, quod nullam non aetatis partem, in uerſando politiorum literarum paratu exegeris, quod Ipſe politiſſimis ſcriptis literarium regnum locupletaueris, imo, quod literas fugientes, cum* FRATRE

CEL-

Digitized by Google

CELSISSIMO, *ſuſtineas; Aeſtimet etiam, quem rerum uſum Ingenio attulerit decennalis illa inter cultiſſimos politiſſimoſque populos peregrinatio, ubi nullus et Germaniae, et Franciae, et Batauiae, et Angliae, angulus, in quo literae et Muſae deliteſcant,* TVAM *ſedulitatem latere potuit. Deinde, cum ingenii lumen ſit eloquentia, eloquentiam etiam inter elegantiae argumenta cenſent. Qua uero uerborum maieſtate, quo rerum pondere, praeſtant, et quae ſcribis, et quae loqueris? Plena maieſtate, plena pondere, amnia. Haeret adhuc omnium animis infixum, qua dignitate et Oris, et Ingenii, in nuperis Regni Comitiis, in Auguſto illo Coetu,* REIPVBLICAE *cauſam oraueris. Oraſti enim cum maxima. Laetius igitur ſe circumſpicit res, literaria, et*

 gaudet,

Digitized by Google

gaudet, quod illuſtria illa eloquentiae ZALVSCIAE documenta iam publici iuris ſint facta. Imo ſuperbit Germania, ſuperbit et Francia, quod Orationes TVAE, illa proſae dictionis ornamenta, uernaculo utriuſque idiomate propediem ſint proditurae. Tandem, quod perhibent, elegantiae fructum eſſe, ut illa unumquemque, Principes etiam, et terrarum ſaepe Regnatores, in admirationem trahat, amoremque conciliet, eius rei TV praebes argumentum. A nemine enim non amaris. Omnes in amorem TVI, in admirationem, trahis, imo rapis. PROCERES REGNI, at quanta Nomina! TE amant impenſius, imo, qua laude nulla maior habetur, amat AVGVSTVS TERTIVS, Ipſe non Sui

tantum

Digitized by Google

tantum REGNI, *ſed Orbis, Amor et Delicium.*

Patere igitur, GRATIOSISSIME DOMINE, *ut ſplendidiſſimis, quibus Illuſtriſſimus es, titulis*, ELEGANTISSIMI IVRECONSVLTI, *qui palam haberis, titulum immiſceam. Et patieris certe. Nam ornas* REMPVBLICAM, *quam aliquando* REGIS SVI *laudem a Iureconſulti nomine petiiſſe, annales memorant. Patere, ut a* TVO NOMINE *decus et ſplendorem mutuetur elegantior Iuriſprudentia, et ipſa, quae elegantiori Iuriſprudentiae praeſidet, (an dicam,* TECVM *praeſidet) Themis. Patere etiam, ut ego, qui totus in* GENTIS ZALVSCIAE *cultu, ſimul in aere, ſum, Elegantiae* TVAE *admiratorem me*

Digitized by Google

publice proſitear, et, qui huic ſcriptioni nullam ex me elegantiae laudem circumponere potui, hanc ex TE, ILLVSTRISSIME COMES, *et* TVO NOMINE, *petam. Nam multum momenti illud habebit, ut grauiſſimi uerae elegantiae aeſtimatores, cum, operis auſpicium a* TE, *elegantiae omnis Auſpice, fieri, intellexerint, me eleganter ſcripſiſſe pronuntient. Scr. Vitembergae X. Calend. Maias. A. G.*

CIϽIϽCCXLVII.

PROLO-

Digitized by Google

PROLOGVS

Quam in limine nuperrimi ſcripti de altaragio cecini, eandem, Lector, nunc repeto, cantilenam. Veniam nempe Te poſco iterum. At cui tandem culpae? An rubro, barbaram aetatem olenti? Meliorem uero, et Tullii fortaſſe, aetatem redolent uoces, quibus hanc compagem inſigniui. Sed hoc ipſo nomine culpam aliquam mihi uideor contraxiſſe. Qui enim, in Longobardicam detruſus prouinciam, iam longobardice loqui belle occoeperam, ſtationem deſeruiſſe, et in amoeniora diuertiſſe, forſitan non debuiſſem. Huius culpae me fateor reum. Nec tamen adhuc indolet animus. Reatum diluet, quod bona ege-

Digitized by Google

rim mente. Apte ſcilicet facturum me credidi, ſi illam uocum barbariem, qua Longobardica doctrina ſcatet, paulisper ſeponerem, et in panegyri, quae ominoſa, et paulo gratiora, ſibi uerba depoſcebat, oratorem agerem, minus Longobardicum. Hac egi cautione, hac ſolicitudine. Iam uero nouus Tibi eximendus uenit ſcrupulus. Vbi enim audies, e cathedra tractatum eſſe hoc argumentum, productiori orationis filo ingemiſces, et uicem auditorum, quibus intereſſe recitationi prolixae contigerit, deplorabis. At, hac parte me peccaſſe, non memini. Satis, niſi fallor, in recitando breuis fui, nec, niſi potiſſima ſaltem, huius argumenti capita tunc expromſi. Poſtea autem, ut in libelli formam excreſceret tractatio, maxima ſui parte eam auxi, adeo, ut uix denos legeris uerſiculos, quin tenor ſcripti, uel paululum, abludat a recitatis in panegyri. His igitur utere, eandemque, quam hactenus expertus ſum, in me uoluntatem ſerua. Ita certe auertetur, ne, qui munia menſoris ſubii, falſum modum renuntiaſſe, arguar, aut fortaſſe finium regundorum reus peragar.

ELEN-

ELENCHVS

I. *Diſpar Aſtraeae et Themidis ingenium. Diſpar maſculae, et elegantioris Iuriſprudentiae indoles. Aſtraea maſculae, Themis elegantioris, iuriſprudentiae ſymbolum.*

II. *Elegantia nunc uitium, nunc uirtus. Elegantia pro laude ingenii excellentioris. Homo bellus, Iureconſultus bellus, medio ſenſu dicuntur.*

III. IV. V. VI. *Iureconſultus elegantior deſcribitur.*

VII. *Vitia, a quibus ſibi cauet elegantior Iureconſultus.*

VIII. IX. X. XI. XII. *Elegantiorum Iureconſultorum exemplis haec doctrina illuſtratur.*

XIII. *Iuriſprudentia elegantior et maſcula ſunt ſpecies Iuriſprudentiae perfectae et ſolidae. Iuriſprudentia plena, et florida, differunt.*

XIV. *Iuriſprudentiae elegantioris odium pene populare.*

Digitized by Google

XV. Laus elegantioris iurisprudentiae etiam ad aduocatum ſpectat.

XVI. Digreſſio, qua, temperamentum quoduis elegantiae capax eſſe, euincitur.

XVII. XVIII. XIX. XX. Aſtraeae fabula maſculae, fabula uero Themidis elegantiori, iuriſprudentiae reſpondet.

XXI. Explicit argumenti tractatio. Deo immortali et Auguſtiſſimo Auguſto defertur obſequium. Gratiarum actio peragitur. Nuncupantur uota.

XXII. Ad Patres Conſcriptos, tum ad Commilitones, denique ad reliquos auditores, allocutio auſpicalis.

AMBI-

Digitized by Google

AMBITVS

ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE

I

PLENVM EST ingenio illud antiquitatis fabuloſae argumentum, quod de Diis Deabuſque, ARTIVM ET SCIENTIARVM TVTELARIBVS, exponit. Arti noſtrae, de ſola enim IVRISPRVDENTIA dico, duas praeſides dederunt uaferrimi diuinitatum architecti. ASTRAEAM unam dixere, THEMIDEM alteram, feminas, ſiue formae munera, ſiue mores et ingenium, ſpectem, plane ſibi diſſimiles, nullaque pene re, niſi DIVINITATE et ſexu, ſibi aſſimilandas. Illa quidem VIRGO perhibetur, at uirginei blandimenti expers, MOROSA, contractae et ad TRISTI-

A TIAM

TIAM compoſitae frontis,[a] uirginitatis ſuae plus iuſto tenax, taedas iugales exoſa, omne faſtidiens cum hominibus commercium, imo, ne cuius illecebris pelliceretur, in montium receſſibus latitans, ſolitaria.[b] Multo ELEGANTIVS altera Dea praebet SPECTACVLVM. Oculis ac ore BLANDITIAS ſpirat, grauitate tamen maieſtateque mixtas, nulli Dearum, CORPORIS SPECIE, uel minimum ceſſura.[c] Tantum abeſt, ut mortales auerſetur, ut GRATA potius FRONTE reſpiciat, eorundemque conſortio delectetur. Nil uiriles acceſſus fugit. Simulat quidem fugam, ne nimium facilis uideatur. Tandem uero in amplexus proci ruit, ſtratoque thalamo FLORENTISSIMAS PVELLAS progignit. Audiuiſtis partem nobiliſſimi illius commenti, cuius ſchemate ueterum myſtae grauiſſima condiderunt myſteria, non, niſi ſtudio pertinaci multoque circuitu, enodanda. Non repeto ea, quae alii, multorum enim ingenia idem hoc argumentum torſit, acute ſatis diuinarunt.[d] Dicam, quid mihi in mentem uenerit, utriuſque Deae formam, mores, et reliquam fabulae partem, curatius diſpicienti. Memineram, duplicem eſſe, ad quam ſectandam nobiliſſimos iu-

uenes

a) Scilicet adeo triſtem, ut narrat CHRYSIPPVS *in libro* περὶ κάλλȣς καὶ ἡδονῆς, pinxerunt ueteres, ut delicatiores quidam Philoſophi, quod ait GELLIVS *Nett. Attic. Lib. XIV.* c. 4. eam non IVSTITIAE, ſed SAEVITIAE, imaginem eſſe contenderent.

b) Mores Aſtraeae deſcribit ARATVS *de Aſtraea*, ibique SCHOLIASTES.

c) Certatim Themidis VENVSTATEM laudant Poetae ueteres, HESIODVS, HOMERVS, ORPHEVS, APPOLLONIVS RHODIVS, quorum autoritatem infra inuocabo.

uenes hortari ſoleamus, IVRISPRVDENTIAM. MASCVLAM aliam dici, aliam ELEGANTIOREM. Anquirebam ſtudioſius, quid tandem ſit, quod alteram ab altera caute diſcernamus, utramque tamen PERFECTAE ac SOLIDAE IVRISPRVDENTIAE nomine cenſeamus. Inueniebam tandem, utramque iuriſprudentiam utriuſque Deae imaginem perfecte exprimere, et ASTRAEAM quidem MASCVLAE, THEMIDEM uero ELEGANTIORIS, typum, ac ueluti ſymbolum, uideri. Calculum mihi adiicietis, cum incomparabilem illam, Deaque dignam, ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE faciem, uberiore uerborum paratu, effinxero.

II

SVSPENSVM ALIQVAMDIV me tenuit uox ELEGANTIAE, ex quo, illam a ueteribus in PEIOREM plerumque PARTEM flecti, animaduerteram. Incertus haerebat animus, utrumne IN VITVPERIVM magis, quam in LAVDEM, IVRECONSVLTI cedat, ELEGANTEM dici. Recordabar, quid eam in rem ferat M. CATONIS aetas. Is ipſe CATO fidem nobis facit,[e] IN VITIO

poſitam

d) In hoc argumento praeſertim elaborarunt STEPHANVS PIGHIVS et IO. FRIDERICVS HOMBERGK ZU VACH. Illius libellus, cui rubrum: *Themis Dea, ſeu de lege diuina*, inſertus eſt IACOBI GRONOVII *Theſauro Ant. Graec. Volum. IX, pag.* 1137. Hic librum ſub titulo: *Themis, ſiue de ortu legis aeternae*, euulgauit Marburgi Cattorum an. 1725. 4.

e) CATO *in Carmine ſuo de moribus* apud GELLIVM *Noct. Att. Lib. XI. cap. II.*

poſitam tum fuiſſe ELEGANTIAM, nec alium ELEGANTEM dictum, niſi qui NIMIS LECTO AMOENOQVE CVLTV eſſet, qualem alia uoce BELLVM HOMINEM [f] Romani appellabant, ita tamen ambiguo ſignificatu,[g] ut, ſi quis in arte noſtra excellat, IVRECONSVLTUM BELLVM [h] uocare nolim. Imo, quod nunc dicam, uix fidem inueniet. Locum quondam ELEGANTIA obtinuit inter VOCES CONTVMELIOSAS, quibus utebantur, qui conuiciis proſcindere uellent alios. Quid, quaeſo, Vobis uidetur de homine, qui Trinummo Plautino audit blandiloquentulus, harpago, mendax, auarus, ELEGANS, deſpoliator, reliqua.[i] Certe ego, neminem fore crediderim, qui homini iſtam ELEGANTIAE LAVDEM inuiderit. At enim habuit ELEGANTIAE uox ſua fata, diuerſis uelut aetatibus diſtincta. Primum, quod dixi, VITII nomen

f) Gallis BELLVS HOMO audit UN GALANT HOMME, medio etiam ſignificatu, quem elegantiſſime exponit Celeb. IOANNES FRIDERICVS CHRISTIVS *Noct. Acad. Obſ. 31.*

g) Si quis dubitet, an recte rem aeſtimem, ille audiat MARTIALEM, qui Cotilum, bellum hominem ſe dici geſtientem, ridet Epigrammate, ſalis et fellis mixtura, notabili. Eſt hoc *Lib. III. epigr. 63.* quod adſcripſiſſe iuuabit:

Cotile, BELLVS HOMO *es, dicunt hoc, Cotile, multi,*
Audio, ſed quid ſit, dic mihi, BELLVS HOMO?
BELLVS HOMO *eſt, flexo qui digerit ordine crines:*
Balſama qui ſemper, cinnama ſemper, olet.
Cantica qui Nili, qui Gaditana, ſuſurrat,
Qui mouet in uarios brachia uolſa modos.
Inter femineas qui tota luce cathedras
Deſidet, atque alia ſemper in aure ſonat.
Qui legit hinc illinc miſſas ſcribitque tabellas,
Pallia uicini qui refugit cubiti.
Qui ſcit, quam quis amet, qui per conuiuia currit,
Hirpini ueteres qui bene nouit auos.
Quid narras? hoc eſt, hoc eſt HOMO, *Cotile*, BELLVS?
Res pertricoſa eſt, Cotile, BELLVS HOMO.

h) Certe ICTI BELLI, et, medio ſenſu, ELEGANTIS, imaginem perfecte exprimere uidetur ICtus ille, cuius characterem ingenioſiſſimus ille, apud Anglos, morum cenſor, SPECTATORIS, uel SOCRATIS, perſonam induens, lepide ſatis et argute deſcripſit. Adiiciam eius uerba, gallico quidem idiomate expreſſa, ne, ſi anglico utar, paucos ſaltem inueniam lectores. Ait: *Celui, qui tient le ſecond rang parmi nous, eſt membre d'un de nos principaux Colleges de Juriſconſultes, où il fait ſa reſidence, plûtot pour obeir aux ordres d'un pere*

men ſuit. Tum reprehendi quidem deſiit, a laudis tamen ſignificatione adhuc fuit aliena.[k] Tandem uero, quae tertia eſt aetas, plane IN LAVDEM recepta eſt,[l] et, quod obſeruo, pro INGENII LAVDE haberi coepit. Teſtimonium huius rei, omni exceptione maius, praebet Tarquinii Priſci, Regis, elogium, a FLORO[m] contextum, in quo memoratur, eum accepiſſe regnum ob induſtriam atque ELEGANTIAM. Mox uero addit FLORVS: quippe qui GRAECVM INGENIVM ITALICIS ARTIBVS MISCVISSET. Diffiteri non poſſum, haec ipſa FLORI uerba ad inſtruendam IVRISPRVDENTIAE ELEGANTIORIS notionem mire contuliſſe, imo, ut plane eloquar, quod ſentio, ipſos natales eidem dediſſe. Clarius ex iis, quae dicam, res intelligetur. Audio, ELEGANTIA commendabilem eſſe Priſcum, iſtamque elegantiam dulci

fantaſque, que pour ſuivre ſon inclination. On le mit dans ce College, pour étudier les loix du païs, mais il entend mieux les Regles du Theatre, que celles du Barreau. - - On ne l'a jamais pris pour un ſot, mais il n'y a que ſes intimes amis, qui ſachent, qu'il a beaucoup de bon ſens. - - Il eſt excellent Critique, et l'heure, qu'il emploie à voir jouer une Comédie, eſt celle, ou il paroît le plus occupé; à cinq heures du ſoir préciſement il traverſe le nouveau College des Juriſconſultes, et la petite rüe, pavée de grandes pierres larges, d'où il va reſter quelques momens au Caffé de Guillaume, enſuite il fait poudrer ſa perruque et froter ſes ſouliers dans la Boutique du Barbier, et il entre à la Comedie, ou l'on peut dire, que ſa preſence eſt avantageuſe à toute l'aſſemblée, puiſque les acteurs ſ'eforcent de lui plaire. Vid. LE SPECTATEUR *ou le Socrate moderne Tom. I. Diſc. 2. pag. 10.*

i) Cum iſtiuſmodi homine amorem comparat PLAVTVS *Trinum. Act. II. Sc. I. u. 13.* Sic quoque, maxime ambiguo ſenſu, ELEGANTIOREM dixit MARTIALIS *Lib. VII. Epigr. 94.* importunum baſiatorem, uerbis:

Bruma eſt, et riget horridus December.
Hoc me frigore baſiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu DVLCIOR ELEGANTIOR*que*,
Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies rigetque barba.
Quare, ſi tibi ſenſus eſt, pudorque
Hibernat, Liue, baſiationes
In menſem, rogo, differas Aprilem.

k) GELLIVS *Noct. Att. Lib. XI. cap. II.*

l) Vid. IO. MARIAM CATANAEVM *ad* PLINII *Lib. IV. Ep. 20.*

m) FLORVS *Lib. I. cap. V.*

quadam INGENII GRAECI CVM ARTIBVS ITALICIS MIXTVRA" abſolui. Scilicet Priſcus, Corintho oriundus, SVBTILE et AMOENVM INGENIVM, populare illud Graecorum decus, ° per artes et diſciplinas circumtulerat. Inde ELEGANTIAE LAVDEM reportauit. Iam uero abſtrahendi regulas ſequor. Mitto Tarquinium Priſcum. Mitto Graecum ingenium, itemque artes Italicas, et ELEGANTIAE LAVDEM, ex FLORI quidem mente, unicuique tribuo, qui EXCELLENS AMOENVMQVE INGENIVM diſciplinis et artibus miſcet. Formato conceptu hoc uniuerſali facile definiri poteſt, eum tandem ICtum ELEGANTIAE laude cenſeri, qui arti ſuae, iuriſprudentiam intelligo, EXCELLENS ET AMOENVM INGENIVM miſceat. Haec ſcilicet eſt dos illa, quae, ſi in erudito conſpicua ſit, quamcunque demum ille artem profiteatur, ELEGANTIAE LAVDEM operatur, p et, ſi in Iureconſulto deprehendatur, IVRECONSVLTVM facit ELEGANTIOREM.

III

NIMIRVM GRADV ab inuicem differunt IVRECONSVLTVS,

et

n) Hac MIXTVRA memorabile erat INGENIVM ATTALI, de quo SENECA *Natur. Quaeſt. Lib. I. cap. L.* ait: *Attalus noſter, egregius uir, qui Etruſcorum* DISCIPLINAM GRAECA SVBTILITATE MISCVERAT.

o) Fatetur CICERO *pro Flacco cap. IV.* ſe Graecis tribuere multarum artium diſciplinam, ſermonis leporem, et INGENIORVM ACVMEN. Tum, quis neſcit Horatianum illud *art. poët. u. 323.*

Graecis INGENIVM, *Graecis dedit ore rotundo Muſa loqui.*

p) Non enim negauerim, in omni ſcientia dari eleganter doctos, recteque dici ELEGAN-

et IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR. Poteſt quis IVRECONSVLTI nomen tueri, licet ab ELEGANTIAE LAVDE longe abſit, modo uirtutibus iſtis, quas recte ESSENTIALES dicam, legum ſcientia, habituque interpretandi, ſit inſtructus. Sed ad maiora contendit IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR. Hic rerum ſatagit, ut non ſolum IVRECONSVLTI nomen, ſed etiam, ut ELEGANTIAE LAVDEM, tueatur. Iam apparet, nihil earum rerum, quae ex idea IVRECONSVLTI fluunt, quaeque adeo in quouis Iureconſulto requiruntur, pro ELEGANTIAE criterio haberi poſſe. Nihil ad arguendum Iureconſultum ELEGANTIOREM faciet, ſi praeclara Iuris ſcientia inſtructus ſit, ſi artem interpretandi leges probe calleat, ſi acri iudicio polleat, ſi praeceptis philoſophicis non leuiter tinctus, et artis inueniendi ſit peritus. Certe, his uirtutibus, quantae quantae ſint, ELEGANTIAE laus nondum comprehenditur. Sunt enim ita comparatae, ut eas in quolibet Iureconſulto, ſiue elegantior ſit, ſiue minus, dummodo Iureconſulti nomen ſeruare uelit, conſpici oporteat. Quis enim non uiderit, fabulam ſonare, Iureconſultum dari, ſine iuris ſcientia, ſine habitu interpretan-

TEM THEOLOGVM, ELEGANTEM PHILOSOPHVM. Certe CICERO *Tuſc. Quaeſt. Lib. IV. c. III.* PHILOSOPHIAM ELEGANTEM, opponit Philoſophiae Epicuri, et *in Bruto cap. XX.* C. Sulpicium Gallum uocat ELEGANTEM ORATOREM. Nec a MEDICINA abhorrere ELEGANTIAM, ſuperiori anno, uir quidam doctus, cum euulgaret AMOENITATES ſuas MEDICAS, in Praefatione innuit, fidem faciens, DELECTATIONEM, ELEGANTIAM, et SVAVITATEM, ineſſe ARTI MEDICAE, imo ipſe autor in hoc libello, in quo ſelectiora et amoeniora artis ſalutaris capita tractat, ſe praeſtitit MEDICVM ELEGANTEM; Quam laudem illi tribuere eo minus dubito, cum

pretandi? Quis crederet, hominem, inerti iudicio notabilem, Iureconſulti nomen faſtigiumque attingere poſſe? Nec exiſtimauerim, legum interpretationem, niſi ab ingenio praeceptis philoſophicis imbuto,[q] uel legum ſcientiam, ſi ſenſu legali[r] accipiatur, ſine arte inueniendi,[s] expediri poſſe. Equidem haud diſſimulo, hiſce uirtutibus SOLIDI et PERFECTI IVRECONSVLTI characterem abſolui. At enim uero non quilibet Iureconſultus, qui ſolidus et perfectus audit, elegantiae laudem aſſequitur. Pauci, quod deinceps dicetur,[t] hanc metam attingunt. Hinc aliud quidpiam latet, quo ELEGANTIOR a ceteris, SOLIDIS alioquin, diſcernitur. Iam, niſi fallor, magna Veſtrum pars in eam procliuis eſt ſententiam, indubitatam fortaſſe ELEGANTIAE notam eſſe, ſi quis

audiam, cum antehac plura amoenioris et elegantioris ingenii documenta publice edidiſſe. Sed MEDICI ELEGANTIA nihil ad Edictum. Hinc aliis relinquo diiudicandam.

q) Vid. IO. BVRCHARD. WOLFIVS *de Iureconſulto Philoſopho §. 37.*

r) Etenim ſecundum *L. XVII. ff. de Legibus*, SCIRE LEGES *non eſt uerba earum tenere, ſed earum* VIM *et* POTESTATEM. Hanc uero non eruet, niſi IVRECONSVLTVS INVENTOR.

s) Hanc artem in Iureconſulto deſiderat IO. FRID. HOMBERGK ZU VACH in *Diſſert. de impedimentis ſolidioris iuriſprudentiae ſtudii, Nouellis eius adiecta, pag. 231.* praeſertim uerbis: *Id agendum nobis incumbit, ut ea,* QVAE LATENT, ERVANTVR ET DETEGANTVR. INVENTOREM uero, ex mente Illuſtris IO. VLRICI CRAMERI in *Orat. de Iureconſulto* [illegible] *pag. 8. not. n.* ſe praeſtat, qui ex iis, *quae ipſi cognita ſunt, ratiocinando colligit,* QVAE IPSI VEL ALIIS PERSPECTA *nondum ſunt, ut adeo, ope eorum, quae nouit, penetret in cognitionem aliorum,* QVAE NONDVM NOVERAT, *proprio quidem Marte.* Certe hoc INVENTORIS officium nemo melius expreſſit, quam incomparabilis ille ueterum Iureconſultus, SCAEVOLA, de quo CICERO in *Bruto cap. 40.* ait: *Iuris ciuilis magnus uſus et apud* SCAEVOLAM, *et apud multos, fuit. Ars in hoc uno, quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae docet rem uniuerſam tribuere in partes,* LATENTEM EXPLICARE *definiendo, obſcuram explanare interpretando,* AMBIGVA PRIMVM VIDERE.

t) Infra *§. XVIII.* circa finem.

u) Hic eſt Doctiſſimus EMANVEL MARTINVS, Hiſpaniae decus. Vid. EIVS *Epiſtolam ad* GREGORIVM MAIANSIVM *Lib. I. Ep. 2. pag. 6. Edit.* Celeb. GOTTLOB AVGVSTI IENICHEN.

quis ſcientiae legum iungat cognitionem literarum humaniorum, quarum uel ſola elegantiſſima nomina non poſſint non elegantiae laudem operari. Nunc audiunt LITERAE POLITIORES, INTERIORES, RECONDITAE, nunc POLITIOR HVMANITAS, nunc STVDIA MITIORA, AMOENIORA, et, quod potiſſimum huc pertinet, ELEGANTIORA. Nonnemo* eas dixit STVDIA, QVORVM AMOR NON, NISI GENEROSAS ANIMAS, TANGIT. Quid igitur, ſi horum praeſidio inſtructus ſit Iureconſultus, anne ELEGANTIAE laus ei impertienda uidebitur? Dabitis ueniam, ſi ipſam hanc notam paululum fallacem dixero. Non equidem renuo, Iureconſultum ELEGANTEM non dici, qui careat literarum humaniorum paratu. w) Sed utique intercedo, ſi quis contendat,

w) Admodum difficile eſt, definire, quae tandem ſtudia ad literas elegantiores pertineant, et quae cum legum ſtudio coniungi debeant. In definiendo tamen elaborarunt cum autores, quos IO. SAM. BRVNQVELLVS in *Diſſ. Praelim. Hiſtoriae Iuris* allegauit, tum ſelecta illa praeſtantiſſimorum ICtorum opuſcula, ab Illuſtri CHRIST. GOTTL. BVDERO collecta, et publici iuris facta *Ienae 1724.* Deinde magna ſcriptorum pars in eo occupatur, ut ſuadeat, legum cultoribus nihil magis cordi eſſe debere, quam politiorum literarum cognitionem. Nemo tamen, quod recordor, maiori cum elegantia, an dicam calliditate, in hoc argumento uerſatur, quam incomparabilis OCTAVIVS FERRARIVS, ſuadae ſacris quondam in Gymnaſio Patauino praefectus. Is, ut fidem faciat, neminem magis, quam ICtum, decere literarum humaniorum cultum, fingit Philologiam, elegantiſſimae formae Deam, mortales amplexus appetiiſſe, coactoque, a patre eius, Apolline, ex omni diſciplinarum orbe, doctorum coetu, ſediſſe ſponſam in aureo throno, oculos nutuſque inter amantes diſpenſantem, blandoque aſpectu tot procorum ſpem acrius accendentem; Reſpexiſſe primum ad Grammaticos, tum ad oratores, poſtea ad Philoſophos, mox ad aſtrologos, deinde ad medicos; neminem uero ex his ſponſae placuiſſe; Solos ICtos non inanem ſpem aluiſſe, ſed ex his ſponſam ſibi delegiſſe, quem ſtabili ſibi connubio iungeret. Ipſis FERRARII uerbis nobile illud conuentum deſcriberem, ſi plagulae illud caperent. Partem ſaltem illius adſcribam, quae ad ICtos pertinet. Pergit enim: *Omnibus fere conſenſum ſuum approbanerant medici, ſoli puellae non placebant, quae, ſine ad ICtos decoros cultuque florentes oculos adiecerat, ſine alias ob cauſas, libere pronunciauit, non diſplicere ſibi quidem medicorum conditionem*, MALLE TAMEN THORI SOCIVM ICTVM, IMO FATIS, TACITAQVE DEORVM DESTINATIONE, SIBI DEBERI. *Cuius rei auctores daturam ſe Budaeum, Briſſonium, Cuiacium, Raeuardum, Fabrum, utrumque Gentilem, et omnium principem, Alciatum, qui Iuriſprudentiam, barbarorum inuria, noſtrorum ue hominum ignauia, ab eloquentia literarumque ſtudiis*

ELEGANTIAM Iureconſulti, ſola humaniorum literarum cognitione, abſolui. Dari nempe poteſt Iureconſultus, literis iſtis copioſe inſtructus, qui tamen elegantiae laude excidat. Memorabile exemplum praebet praeſtantiſſimus ſuae aetatis Iureconſultus, M. CATO. Huius in doctrina iuris ciuilis peritiam, eloquentiam, linguarum uernaculae et graecae facundiam, et omnis fere ſapientiae cultum, Tullius ſuſpicit, paſſimque laudat. Nec tamen eſt, ut miremini, eum ab incomparabilis famae Iureconſulto, VLRICO HVBERO,x uocari uirum antiquae ſeueritatis, et AB OMNI ELEGANTIA, CVLTVQVE AMOENIORI, PENE MOROSE ALIENVM. Defuit enim ipſi primaria Iureconſulti elegantioris uirtus, INGENII AMOENITAS et EXCELLENTIA. Haec certe ſi deficiat in Iureconſulto, ſi uel maxime uorauerit literas elegantiores, elegans tamen dicen-

abſciſſam, ſitu ſqualentem, gloſſis foedam, inertiis deformatam, ad priſtinum cultum ac maieſtatem reuocaſſent; His auditis, ieiuni quidam ac puſilli leguleii in angulo muſſabant, qui, philologiae ornatum aegris oculis inſpicientes, nimbatam dicebant, et nugas meras, nam cui bono tot illecebras pigmentaque et calamiſtrum, ab iuris ſanctitate abeſſe fucum oportere, nimiaſque munditias. Sed impoſitum rabulis ſilentium, poſtquam Vlpianus et Paulus, et reliqui, non minus iuris ſcientia, quam facundiae claritudine, poſteris noti, e republica literaria id matrimonium eſſe, pronuntiarunt, quin ingenue faſſi ſunt, tantas Iuriſprudentiae tenebras iniectas eſſe, ut, ſi res ipſi mortales reuiſerent, futurum, ut uix reſponſa ſua intelligerent. Igitur, uniuerſis plaudentibus ac poſtulantibus, nuptiae factae ſunt, et Philologia in ICti manum per confarreationem conuenit, ſignatae tabulae, dictum feliciter. Iacuit gremio noua nupta mariti. Tum ipſe Apollo uaticinium dixit, ex pulcherrimo matrimonio diuinam infantem orituram, copioſe loquentem prudentiam, tum barbariem e ſcholis expulſum iri. Vid. FERRARII *Proluſ. VI. Tom. I. pag. 70. edit.* IO. FABRICII.

x) VLRICVS HVBERVS in *Orat. de literis humanioribus cum Iuriſprudentia coniungendis pag. 283.* in Opuſc. III. BVDERI, antea allegatis.

y) Cum igitur praeſertim EX INGENIO, ingenita illa hominibus diuina ui, ELEGANTIA ueniat aeſtimanda, auſim praeſtare, IVRECONSVLTVM ELEGANTIOREM non fieri, ſed NASCI. Etenim, PLATONE *Dial. X. de Legibus* teſte, ELEGANTISSIMA *quaeque* NATVRA FORTVNAQVE FIVNT, *arte uero minora.* Et ſcitiſſime, quod ſolet, ait BALTHASAR GRACIAN *dans l'homme de cour, max. 42.* L'ASCENDANT (hoc uero in ICto elegantiori

dicendus non erit.[y] Subit animum mirari, cur celeberrimus SCHEIDIVS,[z] in effingenda IVRECONSVLTI OPTIMI imagine, ad hanc, quam primariam dixi, uirtutem non reſpexerit. Nempe INGENIO, quod poſtea[a] dicetur, ad DIVINITATEM quandam accedere poſſumus. Quanto magis autem Iureconſultus INGENIO DIVINITATEM aſſequitur, tanto propius ad OPTIMI LAVDEM accedit. Iureconſulto igitur,

INGENIVM *cui ſit*, *cui* MENS DIVINIOR, *atque* OS
MAGNA SONATVRVM,[b] *des nominis huius honorem.*[c]

IV

Ex INGENII ſcilicet AMOENITATE et EXCELLENTIA aeſtimandam eſſe, contendo, Iureconſulti ELEGANTIAM. Eſt, eſt

 omnino,

admiramur) *eſt une force ſecrete de ſuperiorité, qui* VIENT DU NATVREL, *et non de l'artifice, ni de l'afectation.* Sic enim GRACIANI textum ex idiomate Hiſpanico in linguam patriam tranſtulit AMELOT DE LA HOVSSAIE. Nihil uero magis in rem meam facit, quam quod ait IDEM *dans la Max. 51.* in fine: *C'eſt donc un des plus grands dons du ciel* D'ETRE NE' HOMME DE BON CHOIX. Atqui IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR deinceps audiet HOMME DE BON CHOIX. Vid. *§. V. not. u.*

z) CHRIST. LVDOV. SCHEIDIVS *de optima inter ICtos diſſentientes ſecta §. 13.* ubi, *apparet*, inquit, *qualem nos deſideremus ICtum, qui Optimus dici poſſit, ſcilicet humanum et talem, quem ruere in dulciſſimos amplexus ſuos paſſa eſt Pallas, media ubique uia incedentem, nec ſuperſtitioſum et ſenſibus ſuis indulgentem, nec albis quaelibet deridentem dentibus, ſed mitem, propriaeque ſuae imbecillitatis memorem.*

a) Infra *§. XX.*

b) Nempe, ELOQVENTIAM ab ELEGANTIA ſeparari uix poſſe, innuit CICERO *de Orat. Lib. I. cap. 2.* uerbis: *Soles a me diſſentire, quod ego prudentiſſimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam, tu autem illam* AB ELEGANTIA *doctrinae* SEGREGANDAM *putas, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam.*

c) His uerbis laudem POETAE comprehendit HORATIVS *Lib. I. Sat. IV. v. 43.* Liceat mihi idem hoc ad IVRECONSVLTVM OPTIMVM, et ELEGANTEM, transferre. Hic enim, quod aliquoties in hac tractatione monebitur, in multis rebus ad Poëtae ſimilitudinem accedit.

Digitized by Google

omnino, ea artis noſtrae moroſitas, ut, niſi aliunde commendationem petat, amoenitatemque mutuetur, nihil habeat amoeni, nihil, quod delectet.[d] Per ſe ſeuerior eſt diſciplina, ſpinis dumiſque obſeſſa, in qua aridae materiae et ſalebroſa argumenta dominantur. *Magna uero hominum pars*, PLINIO iudice,[e] STVDIORVM AMOENITATES *quaerit*. Cetera, quae amoenitate carent, facile faſtidiuntur. Ne igitur idem hoc noſtrae arti eueniat, habet omnino IVRECONSVLTI INGENIVM, in quo uim ſuam oſtentet,[f] rerumque ſatagat, ut illam legum auſteritatem quodammodo emolliat,[g] undique curioſius conquirendo, quicquid AD ORNANDAM artem, et, tum doceat, tum ſcribat, AD DELECTANDVM AVDITO-

d) Scilicet Philoſophi uox eſt, Leges peculiare quoddam propoſitionum genus conſtituere, nec incommode Voluntatum nomine inſigniri. Voluntates uero, etiamſi demonſtrationem nonnunquam patiantur, quouſque tamen leges, iuſſa, edicta, ſunt, quanto magis grauitatem legislatoris produnt, tanto magis a luſu et luxu ingenii, ab amoenitate et delectatione, ſunt alienae. Lege, quae eam in rem ſcribit Frater dilectiſſimus, IO. MART. CHLADENIVS in *Theoria uoluntatum* §. 1. 15. et 16. quae inſerta eſt *Logicae eius ſacrae Cap. III. pag. 184.*

e) PLINIVS in *Praefat. Hiſtor. Natur. pag. 5. edit. Haekianae d. an. 1669. 8.*

f) Sed quid audio? Inimica et noxia legibus eſſe IVRECONSVLTORVM INGENIA, contendit CICERO in *Orat. pro Murena c. 13.* Ait enim: *Cum permulta praeclare legibus eſſent conſtituta, ea* ICTORVM INGENIIS *pleraque corrupta ac deprauata ſunt.* Facile uero res componi poteſt. Peccat utique ICti ingenium, quod, libidine quadam correptum, in legislatoriam poteſtatem inuadit, mentemque legis praetergrediendo in interpretatione ita uerſatur, ut nouam magis legem condere, quam ueterem legem interpretari, uideatur. ELEGANTIAE uero LAVDEM meretur ICtus, cuius INGENIVM in eo totum eſt, ut legitimam artem GRATIOREM efficiat, AMOENIOREMque.

g) Nemo unquam rectius ſenſit, quam ICtus ille, qui tironi, ad elegantiae faſtigium contendenti, ſuaſor erat, nunquam a legali ſeueritate ſeparandas eſſe ERVDITAS AMOENITATES. Lege VLRICI HVBERI *Orat. de literis human. cum iurispr. coniungendis*, in *Opuſc.* III. BVDERI *pag. 278.*

h) Nempe, cum ingenia GRADV EXCELLENTIAE differant, et, ISOCRATE in *Archidamo circa init.* teſte, *ingenium in cauſa ſit, ut alios alii ſuperemus*, fieri aliter non poteſt, quam ut laus ingenii, ELEGANTIA, gradus ſuos habeat. Et, cum, LAVRENTIO VALLA *de Elegantiis Lib I. c. 12.* iudice, comparatiui natura ſit, ſuperare in ea qualitate, quam obtinet poſitiuus, ELEGANTIOR is demum erit dicendus, qui inter ipſos elegantes eminet, principatumque tenet.

DITOREM LECTOREMVE, facere uideatur. Has ipſas partes ubi explet Iureconſultus, ELEGANTIAE LAVDE excipiendus, tantoque ELEGANTIOR[b] dicendus, eſt, quanto AMOENIORI INGENIO polleat, et quanto magis DELECTET.

V

DELECTET IGITVR, oportet, ſi ELEGANTIAE LAVDEM attingere uelit,[i] undecunque demum DELECTATIONIS ARGVMENTVM promat. Facile uero, cum, auctore TVLLIO,[k] *nihil feracius ſit* INGENIIS, iis praeſertim, quae DISCIPLINIS EXCVLTA ſunt,[l] inueniet AMOENVM Iureconſulti INGENIVM,

i) Non inepte in IVRECONSVLTO ELEGANTIORI deſidero L'HUMEUR JOVIALE, quam Galli uocant, id eſt, INGENIVM AMOENVM et DELECTABILE. Poſcit hoc ſibi ipſa uox ELEGANTIAE. Diſerte ait PLATO *in Dialogo*, cui rubrum: *Hippias maior, ſiue de pulcro;* ELEGANS *illud demum eſſe, quod* DELECTET. Imo, ſi quis in uocibus haerere uelit, inueniet, graecis elegans idem fuiſſe, ac id, quod delectet. Φαιδρότητα et γλαφυρότητα rectiſſime dici ELEGANTIAM, teſtis eſt IVL. CAES. SCALIGER in *Poëtic. Lib IV. cap. 1. pag. 458.* Vtraque uero uox, ſi etymon ſpectes, HILARITATEM, VENVSTATEM, AMOENITATEM, denotat. Φαιδρὸς enim eſt hilaris, amoenus. Φαιδρόειν, exhilarare. Γλαφυρὸς uero eſt concinnus et uarietate delectans. Sed SCAPVLAM compilare nolo.

k) CICERO in *Oratore cap. 15.*

l) INGENIVM DISCIPLINIS EXCVLTVM idem eſſe uidetur, ac quod Galli uocant LE BEL ESPRIT. Ab hoc uero accurate diſcernunt LE GRAND GENIE. Ipſum, quod inter utrumque intercedit, diſcrimen, melius uix expreſſerim, quam uerbis SPECTATORIS ANGLICI *Tom. II. Diſc. 37. pag. 222.* quae, Gallico quidem idiomate concepta, exhibebo: *Entre* LES GRANDS GENIES, *ce petit nombre, qui s'attire l'admiration de tout le monde, et qu'on peut regarder comme des prodiges de la nature humaine, ſont ceux, qui par la ſeule force de leurs talens naturels, et ſans aucun ſecours des arts ou des ſciences, ont produit des Ouvrages, qui faiſoient les delices de leurs contemporains et l'admiration de la poſterité. Il y a quelque choſe de noble au milieu de l'irregularité, qu'on trouve dans ces grands genies, qui eſt infinement plus beau, que tous ces tours et cette delicateſſe, que les françois apellent* BEL ESPRIT, *c'eſt à dire un genie poli par la converſation, la reflexion, et la lecture des ecrivains les plus exacts. Le Genie le plus élevé, qui s'eſt imbu des arts et des ſciences, en contracte, je ne ſai, quelle teinture, qui l'engage à l'imitation, malgre qu'il en ait.* Idem hoc diſcrimen animo agitaſſe uidetur CICERO, cum *Lib. I. de Offic. cap. 33 triplex hominum genus dari*, contendit. *Alios*, inquit, EXCELLENTE INGENII MAGNI-

Digitized by Google

quo, ſi uel in ſterili argumento uerſetur,[m] animum auditoris lectoriſue agat, et uelut aculeos in auribus et animo relinquat. Nunc arti, per ſe moroſae, LATINI SERMONIS MAIESTATEM circumfundit, et, communi illo ſcientiarum condimento, ELOQVENTIA,[n] commendabile efficit legum ſtudium. Nunc amoeniſſima politiorum literarum uireta perambulat, hinc inde decerpens elegantias, arti ſuae ornatui futuras. Nunc, quae certiſſimum AMOENIORIS INGENII argumentum facit, GRATA VARIETATE, quae uirtus in Poëtis laudari ſolet,[o] condit omnia. Cum enim non alia

TVDINE, *alios* PRAECLARA ERVDITIONE *et doctrina, alios denique* VTRAQVE RE *ornatos eſſe.* Illos, qui INGENII MAGNITVDINE excellunt, dicerem GRANDS GENIES. Hos uero, qui VTRAQVE RE ornati, BEAUX ESPRITS. In Iureconſulto elegantiori τὸ ἀστέσκον eſt LE BEL ESPRIT.

m) Quaedam tamen in iure noſtro argumenta ſterilitate tanta laborant, ut omnem fere elegantiam excludant, et pene indigna uideantur, quae ab ELEGANTIORI INGENIO operoſe tractentur. Audias, quid euenerit GREGORIO MAIANSIO, ICto, qui, ſi Hiſpaniam, in qua ille docuit et ſcripſit, cogites, elegantiſſimus dicendus, imo dictus a IO. GOTTL. HEINECCIO in *Praefat. ad Obſeru.* BYNKERHOEKII *Tom. II. pag. 11.* Applicuerat ille animum ad illuſtrandos titulos de dotis et bonorum collatione. Totus igitur in eo erat, ut hanc iuriſprudentiae partem explicitiorem redderet, ſimul et amoeniorem. Nam animum eius EMANVEL MARTINVS, iteratis literis, ad amoenitates et elegantias ſectandas, pellexerat. In iſto argumento cum uerſaretur MAIANSIVS, mira cauſae fiducia, MARTINO ſic ſcribebat: *Nunc in manibus habeo titulos de collatione bonorum et dotis. Huic tractatui pro uirili conferam, quicquid ex multa lectione colligere potui et obſeruaui. Et ſpero, me ita excultum hunc ſterilis ſcientiae campum, poſt auulſas difficultatum ſpinas, quibus prope erat impenetrabilis. Ex quo famae immortalitatem animo uerſare iuſſiſti me, intentiſſimus ſum huic cogitationi.* Exantlata deinde laboris parte, ſpecimen mittebat MARTINO, credo, ut plauſum, et elegantiae quandam laudem, reportaret. Quam uero ſpes decollauerit, perſpice ex ipſis MARTINI literis: *Commentariorum tuorum de collatione bonorum ſpecimen legi, diſtuſſi. Video, te uerſari* IN STERILI PROVINCIA, ARIDA *et* SQVALIDA. *At, quis Te in illam coniecit? Quando aliquid elucubrare animo Tibi haeſerat, ſatius multo fuiſſet, in laetiorem aliquam* SEGETEM *falcem immittere, ut uberiore materia recreatus animus eos manipulos demeteret, qui* INGENIVM *tuum* ALTIVS COMMENDARENT. EXILIS MATERIA *eſt nimiſque* IEIVNA, *quam tibi ad ſcribendum prouocaſti.* Vid. GREGORII MAIANSII *Epiſt. Lib. I. Epiſt. 11. et 16. pag. 28. et 37. Edit. Lipſienſis.*

n) Eloquentia nempe potiſſimum ingenii elegantioris argumentum, et, ſi CICERONEM audias in *Bruto cap. 15.* INGENII LVMEN eſt.

o) Altera Poëtae uirtus eſt VARIETAS, quae auditorem hiſcentem ad finem uſque perducit. Eam deſcribit IVL. CAES. SCALIGER *Poët. Lib. III. cap. 28.* quod inſcribitur: VARIETAS,

Digitized by Google

alia re magis, quam multiplici ſpecie, uariisque rerum figuris,[p] animus capiatur, illud inprimis agitat IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR, ut, nunc acute, nunc acriter,[q] dicendo, nunc ſeriis iucunda, nunc iucundis ſeria, PROVT INGENIVM SVGGERIT,[r] miſcendo, animum auditoris lectoriſue alliciat, et, uelut inuitum, trahat. Vt uero eo GRATIOR ſit VARIETAS, non popularia, nec uulgaria,[s] nec, quae ab aliis ſaepe dicta, tractat,[t] aut certe, ſi tractanda tamen ſint, non uulgari modo proponit,[u] ſed aliquid admiſcet, quod iis NOVITATIS quandam GRATIAM circumponat.

p) Sine figuris, quod ait IVL. CAES. SCALIGER *cap. cit.* nec efficax, nec uarium, nec ſuaue, poteſt eſſe quicquam.

q) Gradu enim differunt ACRE et ACVTVM. ACVTVM eſt, quod ſententiam, per ſe languidam, penetrare facit in animos auditorum. ACRE eſt, quod non ſolum mouet, ut acutum, ſed etiam uellicat. Vid. IVL. CAES. SCALIGER *ibid. Lib. IV. cap. 1. circa fin. et cap. 15.*

r) Cum enim VARIETATIS praeceptiones, teſte IVL. CAES. SCALIGERO *Poët. Lib. III. cap. 28.* difficiles ſint, cuiuſque ingenio relinquendum eſt, qua tandem re GRATAM efficere poſſit VARIETATEM. Certe idem hoc innuere uidetur CICERO, cum in deſcriptione Iureconſulti elegantis addit: *Qui* INGENII PRAESIDIO *languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore reducere, poſſit.* Vid. CICERO *de Orat. Lib. I. cap. 46.*

s) Quam alienum ſit AMOENIVS INGENIVM a rebus uulgaribus, eleganter, ut ſolet, exponit BALTH. GRACIAN *dans l' homme de Cour max. 22.* uerbis: *L' Erudition galante eſt la proviſion des honnetes gens. La connoiſſance de toutes les affaires du tems, les bons mots dits a propos, les façons de faire agreables, font l' homme à la mode:* et PLVS IL A DE TOUT CELA, MOINS IL TIENT DU VULGAIRE.

t) Iureconſultum hac laude notabilem Excell. EVERARDVS OTTO in *Praeſ. Theſ. Iur. Rom. Vol. I.* uocat TERSVM et NITIDVM. Audis uero Synonyma IVRECONSVLTI ELEGANTIORIS.

u) Scilicet, teſte IVL. CAES. SCALIGERO in *Poët. Lib. IV. Cap. I. pag. 454.* elegantia in POETA efficitur per uerborum electorum NON VVLGAREM coaptationem. Sic Iureconſultum ELEGANTIAE LAVDE ornamus, ſi NON VVLGARI MODO res electas proponat. Certe enim, ELEGANTIAM ab ELIGENDO dici, autor eſt CICERO *de Nat. Deor. Lib. II. cap. 28.* ut igitur uix fallar, ſi contendam, Iureconſultum tanto eſſe ELEGANTIOREM, quanto magis dici meretur (dabis exoticae uoci ueniam) HOMME DE BON CHOIX, qualem deſcribit BALTHASAR GRACIAN *dans l' homme de Cour, max. 51.* uerbis: LE BON CHOIX *ſuppoſe le bon gout et le bon ſens. L' eſprit et l' etude ne ſuffiſent pas, pour paſſer heureuſement la vie. Pouvoir choiſir, et choiſir le meilleur, ce ſont deux avantages, qu' a le bon gout. Pluſieurs ont un eſprit fertile et ſubtil, un iugement fort, et beaucoup de connoiſſances, aquiſes par l' etude, qui ſe perdent, quand il eſt queſtion de faire un choix C' eſt donc un des plus grands dons du ciel d' etre né* HOMME DE BON CHOIX.

nat. Quod enim quotidiana experientia docet, ea inprimis placent, mentemque ac ſenſus percellunt, quae NOVA ſunt, et RARITATE ſe commendant, tantoque magis placent, quanto ſunt RARIORA.[w] Hinc ELEGANTIOR IVRECONSVLTVS, qui totus in eo eſt, ut PLACEAT, ut DELECTET, in utroque elaborat, ut, et RERVM VARIETATE, et RERVM VARIARVM NOVITATE,[x] placeat. Tandem etiam, quod primo fere loco memorandum erat, in promendo delectandi argumento id inprimis agit, ut, quod in poëtis laudari ſolet, DVLCI VTILE MISCEAT, et, dum delectat, proſit. Certe enim, ut ille ait,[y] *niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria*, et, niſi fallor, ipſum ELEGANTIAE nomen Iureconſulto elegantiori aurem uellit, eumque monet, ut VTILITATEM praeſertim reſpiciat. Etenim, quod ſapienter PLATO dixit,[z] *illud demum eſt* ELEGANS, *quod eſt* VTILE. Hinc AMOENA quidem, ſed, quae ſimul VTILITATEM ſpirent, ſectatur, ludicra uero et iocos, qui utilitatis reſpectum non habeant, a nugiuendulo potius, quam ab elegantiori, ingenio, exſpectandos,

auer-

w) Hoc argumentum pereleganter tractat IO. BVRCARDVS MENCKENIVS in *Decad. Diſſ. acad. Diſſ. IV.* περὶ τῦ ἀρέσκοντος, *ſive, de eo, quod placet* §. 2. *pag.* 125. Addo IVL. CAES. SCALIGERVM, qui in *Libro de ſubtilitate ad Cardanum Exerc.* 307 *diſt.* 11. ſcribit: *At quare* DELECTANT *admirabilia? quia mouent. Cur mouent? quoniam* NOVA. Et IDEM in *Exerc.* 308. RARIORA DELECTABILIORA eſſe, ait. Ex quibus conficio, Iureconſultum, quo tractet RARIORA, tanto eſſe DELECTABILIOREM, et quo ſit delectabilior, tanto eſſe ELEGANTIOREM.

x) Apparet igitur, Iureconſultum non audire elegantiorem, niſi ſit (gallice iterum loqui liceat) HOMME DE BONNE INVENTION, de quo pariter ſcite BALTH. GRACIAN *Libr. cit. axiom.* 283. ait: L'INVENTION *eſt le partage des eſprits vifs, et le bon choix celui des eſprits ſolides. La premiere eſt plus rare et plus*

Digitized by Google

auerſatur, et ſolicitius cauet, quod cauendum eſſe QVINTILIANVS grauiter monet,[a] *ne, dum captet* ELEGANTIAM, *uiri boni et grauis auctoritatem perdat*, probe memor, ſtolidum et pucrile haberi, ſtudere et laborare, ludendi gratia.[b]

V I

SI QVIS de moribus, de uirtutibus, quas morales Philoſophi uocant, quaerere uelit, utrum et has ambitu ſuo comprehendat Iureconſulti elegantia, facili negotio res poterit componi. Dixi, ſtudiis humanitatis, uariiſque artibus, inſtructum eſſe Iureconſultum elegantem. Has uero fideliter didiciſſe, ſecundum uulgatiſſimum illud, emollit mores, nec feros ſinit eſſe. Deinde, quod contendi, elegantia ipſo PLACENDI DELECTANDIQVE STVDIO abſoluitur. Ex quo conficio, ipſa Iureconſulti elegantis appellatione ſignificari Iureconſultum, qui INTEGRIS etiam MORIBVS DELECTET. Recte dictitabat AEMYLIVS FERRETVS,[c] PERFECTVM IVRECONSVLTVM non eſſe, niſi et VIRVM BONVM. Quam

 late

eſtimée attendu que beaucoup de gens ont reüſſi à bien choiſir, et très-peu à bien inventer et à avoir LA PRIMAUTE' DE L'EXCELLENCE *auſſi bien que celle du tems.* LA NOUVEAUTE' *eſt inſinuante, et, ſi elle eſt heureuſe, elle releve doublement ce, qui eſt bon. Dans les choſes, où il y va de jugement, elle eſt dangereuſe, à cauſe qu'elle donne dans la paradoxe; dans celles, où il ne s'agit, que de ſubtilité, elle eſt louable: et, ſi la nouveauté et l'invention rencontrent bien, elles ſont plauſibles.*

y) PHAEDRVS *Lib. III. Fab. 17.*

z) PLATO in *Dial.* qui inſcribitur *Hippias maior, ſiue de pulcro pag. 331.*

a) QVINTILIANVS *Inſtit. Orat. Lib. XI. in fine.*

b) ARISTOTELES *de moribus Lib. V. cap. 10.*

c) Vid. HELENI RIBITTI *Vitam Aem. Ferreti* in Illuſtr. CHRIST. GOTTL. BVDERI *Vitis ICtorum pag. 26.*

Digitized by Google

late uero pateat, quaſque uirtutes complectatur, VIRI BONI nomen, huius loci non eſt diſquirere.[d] INTEGRITATEM certe elegantiae iunctam eſſe, et ab eadem inſeparabilem, innuit TVLLIVS.[e] MODESTIAM in Iureconſulto Optimo deſiderat Ill. SCHEIDIVS.[f] Reliquas uirtutes, quae uel ex idea IVRECONSVLTI, uel ex ELEGANTIAE notione, ſponte fluunt, praetermittere uiſum eſt.

VII

HAEREO ADHVC in elegantioris ICti laude, enarraturus uitia quaedam, Iureconſultis facile familiaria, a quibus tamen elegantior tanto magis alienus eſt, aut certe alienus eſſe ſtudet,[g] quanto illa elegantiae ſunt inimiciora. Certe inimica elegantiae eſt SVPERSTITIO, et huic affine uitium, ASSENTATIO, qua utraque laborant, qui aliorum dictis ſtrenue et mordicus inhaerent, et,

quic-

d) Rem diſquiſiuit, et argute ſatis expoſuit, Celeb. IO. FRID. CHRISTIVS *Noct. acad. Obſ. X.* quae inſcribitur: *Quis uir bonus dicendus, Gallis: L'honnête homme.*

e) CICERO *pro Sulla cap. 28.* Conf. quae dicentur infra *§. XX. in fine.*

f) CHRIST. LVD. SCHEIDIVS *de optima inter ICtos diſſentientes ſecta §. XIII. not. ee*, ubi excitat ANT. MATTHAEI et GODOFR. MASCOVII, *de modeſtia Iureconſultorum*, orationes academicas.

g) Si enim dicerem, ICtum elegantem a uitiis iſtis uere eſſe alienum, uerendum eſſet, ne quis ICtum meum elegantiorem, ſcommate non infelici, aut cum PLATONIS diuina republica, quae nec extitit, nec exiſtet unquam, compararet, aut diceret *un Fénix de ſa profeſſion*, qualem laudatus GRACIANVS uocat eum, qui inter excellentes excellit. Interim gaudent AMOENA INGENIA hac felicitate, et quaſi priuilegio, ut, ſi modo amoenitate ſua delectent, ad VITIA, quae fortan obrepunt, reſpicere nolimus, haec potius ipſa AMOENITATE tegantur, et ueluti praefocentur. Nemo, quod iudico, elegantius hanc rem edisſerit, quam SPECTATOR ANGLICANVS, quem iam excitaui, *Tom. V. Diſc. VIII.* Credo, gratum Lectori fore, ſi pericopen illam, quae huc ſpectat, adſcripſerim. Ait: *Celui, qui eſt* D'UNE HUMEUR AGREABLE, *a tant de pouvoir ſur tous ceux, qu'il divertit, qu'ils ne pren-*

quicquid agant, ſaltem eo dirigunt, ut aliorum fauorem et gratiam, uel FOEDO OBSEQVIO, emercentur.[h] Hanc uero labem, cum INGENII SERVILIS ſit argumentum, auerſatur IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR, quippe qui ſuopte, et LIBERALI, praeſtat et uiuit INGENIO. Tum, LOGOMACHIAM eſſe uitium, interpretibus legum omnino familiare,[i] neminem fere, ſi uel in arte legitima hoſpes ſit, latere poteſt. Cauet autem IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR, ne uitii huius ſorde commaculetur, In minutiis non haeret. Suggerit ei PRAESTANS et AMOENVM INGENIVM nobiliora, quae tractet, argumenta. Odio habet conuicia, cauillationes et iurgia, quae alteram Logomachiarum claſſem abſoluunt. In animo eius, ut in muſeo, PERPETVA TRANQVILLITAS, eiurata omni aſperitate, regnat, ceu decet illum, cui cum placidiſſima Dea, Themide, cum Muſis etiam, mitiſſimis illis et

 blan-

nent pas garde à ſes defauts, et qu' une certaine indolence, qui eſt inſeparable de toutes ſes actions, lui réuſſit beaucoup mieux, que la diligence et l' aſſiduité des autres, qui n' ont pas le meme talent, qu' il poſſide. Dacinthe manque de parole en toutes ſortes d' occaſions, legeres ou importantes, et lorſqu'on l' a bien drapé ſur cet indigne defaut, on conclut à la fin: Après tout c'eſt un homme CHARMANT. *Dacinthe eſt un mari bourru et incommode, mais cela n' empêche pas, que les femmes, qui le blâment là-deſſus, ne terminent leur critique en ces mots: après tout, c'eſt un homme fort* AGREABLE. *Dacinthe n'eſt rien moins qu' exact ſur le chapitre de l' honneur, de la civilité, ou de la complaiſance, mais tout cela ne merite aucune attention, car c'eſt un homme fort* DIVERTISSANT. *Lorſque cette qualité eſt accompagnée de ſentimens nobles et vertueux, il n' y a rien, qui plaiſe davantage; mais lors qu'elle eſt ſeule et qu'elle ne ſert, qu' à couvrir une foule de mauvaiſes qualitez, il n' y a perſonne, que l' on doive éviter avec plus de ſoin, que vôtre* HOMME DE BELLE HUMEUR.

h) Vtrumque uitium deſcripſit Illuſtris AVGVSTINVS A LEYSER in binis Diſſertationibus, quarum altera, *de ſuperſtitione iuridica*, altera, *de aſſentationibus ICtorum*, inſcribitur. Superſtitionem praeſertim a IVRECONSVLTO OPTIMO alienam eſſe, contendit Excell. CHRIST. LVDOV. SCHEIDIVS *loc. cit.* §. 13.

i) Conf. Illuſtris AVGVSTINI A LEYSER Diſſ. *de Logomachiis in iure.*

blandioribus nouem puellis, perpetuum eſt conſortium. Deinde quis eſt, ſi, uel a limine ſaltem, elegantiam ſalutauerit, qui ſuo exemplo non ſit edoctus, nullius in ſcripti lectione citius fatiſcere, ſtomachumque pati, Lectorem, quam eius, in quo ſingulae propoſitiones, uulgares etiam, et, quae neminem, niſi male ſanum, ambiguum tenent, rudi et indigeſta legum mole ſubſtruuntur, totque interpretum auctoritate muniuntur, ut integra nonnunquam pagella uenerandis quidem Cittadinorum, Rebufforum, Caballinorum, Caepollarum, Spannochiorum, Azpilcuetarum, Butrigariorum, Couarruuiarum, ceterorum, nominibus renideat, meditationem uero ſcribentis, quae aliquantam INGENII VIM arguat, aut nullam, aut certe exilem, et macilentam, oſtentet.[k] In omnia alia tranſit ELEGANTIOR IVRECONSVLTVS, qui, uti nihil non agit, ut MVLCEAT lectorem, in ciendis legibus earumque interpretibus id inprimis habet cordi, eaque agit cautione, ne nauſeet lector.[l] Tango etiam MOROSI uitium. Huic facile adſueſcunt, qui in arte ſua ad quandam laudis et famae maturitatem tenacius contendunt. Etenim multi, dum, in uolutandis ſcrutandiſque codicibus,

k) Rem eſſe faſtidii et diuidiarum plenam iſtiuſmodi ſcriptorum lectioni inhaerere, fidem facit Illuſtris AVGVSTINVS A LEYSER *Medit. ad ff. Spec 2. Med. 3* ubi de ſe, *Legi nuper*, inquit, *non ſine taedio antiqui Doctoris Commentarios, qui nihil, quod uulgare non eſſet, continebant. Sed nihil ille ſine lege loquebatur. Multa, quae nemo unquam in dubium uocauit, breuibus uerbis proponebat, E. gr. Index iuſtitiam ſeruare debet; furioſus neſcit, quid agat; nemini ſuum auferri debet. At ſingulis ſententiis tot leges auctoreſque ſubiecerat, ut paginas integras compleret. Quis non uideat inutilem huiuſmodi ſolertiam.*

dicibus, diem noctemque tranſigunt, ita ſenſim obdureſcunt, ut fere omnes res, quibus aluntur hominum conſortia, iis ſordeant; ut cultum omnem, qui uitam hominis quodammodo amoeniorem reddit, animo nouercali auerſentur; ut amicorum amicarumque commercia ſubterfugiant, nullaque re, niſi pluteis, quibus affixi, et codicum ſtrue, delectentur. At huius rei nihil eſt, quo quis ELEGANTIOREM IVRECONSVLTVM arguat. Nobili quidem flamma regitur, quae ad perennantem, et in aeuum duraturam, laudem nititur. Rerum etiam ſatagit, nec ſudori parcens, nec oleo, ut hanc tandem metam, curſu feliciori, contingat. Sed temperat tamen laborem, et, uti nulla non re placuiſſe ſtudet, ita praeſertim uidet, ne quid MORVM IVCVNDITAS inde detrimenti capiat. Scite diuidit penſa. Vbi Themidis Muſarumque ſacra tractanda, tractat. Vbi uero Gratiis litandum, litat. In neutro uerſatur cum taedio. Habeo igitur, quo accuſem GVILIELMVM BVDAEVM et GVILIELMVM MARANVM, Iureconſultos, qui, ſi uel omni re ELEGANTES dici meruerunt,[m] certe una re elegantiam ſuam aliquantiſper ſuſpectam reddiderunt. Quis credat, ambos

 eo

l) Hinc IOSEPH. AVRELIVS DE IANVARIO *de Republic. ICtorum pag.* 182. inter criteria elegantiae Cuiacianae refert miram, in citandis legibus auctoribuſque, proprietatem.

m) Vtriuſque elegantia mire commendatur a ſcriptoribus. BVDAEVM hoc nomine laudat SCAEVOLA SAMMARTHANVS in *Elogiis Gallorum Lib. I. Elog.* 2. et praeſertim LVDOVICVS REGIVS in *uita* BVDAEI, quam excerpſit PETRVS BAYLIVS *Diction. uoce: Budé.* MARANVM uero BERNARDVS MEDONIVS in *uita eius*, in Ill. BVDERI *Vitis ICtorum* p. 131.

eo die, quem totum aut thalami meditamentis, aut mulcendae iuuenculae ſponſae, ſolicitandoque fortaſſe tenellae pudori, aut oblectandis conuiuis nuptialibus, aut quae forte ſunt ſponſi munia, erogaſſe expediiſſet, eo, inquam, die, cum mortuis contubernium egiſſe, libriſque ſemiſepultos in muſeis delituiſſe, uix, hymenaeis iam circumſtrepentibus, a pluteis ſuis ſe paſſos diuelli. n) Pignore certarem, utramque ſponſam ſponſi ſui moroſitatem muſſitaſſe, et ipſis conuiuis ELEGANTIAM utriuſque ſponſi quodammodo SVSPECTAM fuiſſe uiſam. Ego uero, ne, dum, in delineando moroſi uitio, prolixus ſum, ipſe uidear moroſus, ad alia diuerto.

VIII

ISTIS NEMPE, quas expoſui, uirtutibus, ſi quid iudico, IVRECONSVLTI ELEGANTIORIS character abſoluitur. Iam ueſtrum eſt, iudicare, an recte rem expedierim. Certe non eſt, ut cauſae meae diffidam, ueſtrumque reformidem iudicium. Dicam, quid tandem ſit, quod hanc cauſae fiduciam alat. Video, ipſas, quas

n) De BVDAEO illud memorat BAYLIVS *l. c.* Conf. Doctiſſimi Auctoris elogium BVDAEI *dans les memoires de* L'ACADEMIE ROYALE DES INSCRIPTIONS ET BELLES LETTRES *Tom. V. p. 352. Edit. Pariſ.* De MARANO MEDONIVS *loc. alleg. pag. 142.* narrat, eum *in ipſis nuptiis de ſtudio literarum, deque officio forenſi, nihil remiſiſſe, et inter teneros gratiſſimae nuptae amplexus, non minus ſolito, libris adhaeſiſſe.*

o) IO. GEORG. GRAEVIVS in *not. ad* CICERONIS *Parad. Praefat. n. 4. pag. 3820. Edit. Verburg. in 8.*

quas ediſſerui, uirtutes ac dotes, tanquam indubitatas ELEGANTIAE NOTAS, primo fere loco celebrari in IVRECONSVLTORVM ELEGANTIORVM elogiis, quorum ſat magnam partem, eam in rem, excuſſi. Producam, pace Veſtra, ICtos, qui partim nupera, partim remota, partim remotiori, partim remotiſſima, aetate floruere, quibus omnibus poſt fata ſuperſtes eſt LAVS ELEGANTIAE, et intelligetis, me aequum eſſe rei aeſtimatorem, nec ex ingenio finxiſſe ELEGANTIORIS IVRECONSVLTI characterem.

IX

REMOTISSIMAM AETATEM primum tango, et ex Iureconſultis, qui ueterem Romam ornauerunt, prendo, quorum elegantiam Vobis commendem. At, quid audio? Plurimos Stoicae philoſophiae addictos fuiſſe, euincunt multi. STOICI uero, GRAEVIO iudice,[o] ſunt INELEGANTES, et, ſi TVLLIO[p] credamus, a DELECTANDI STVDIO, CVLTVque AMOENIORI, prorſus ALIENI. Nunc uideant, qui ICtos Romanos, magno conatu, Stoae uindicant, uideant, inquam, ne in diſcrimen

p) Huc ſpectant loca, in *Praef. Paradox. in init. Cato, Stoicus, eſt in ea haereſi, quae nullum ſequitur* FLOREM *orationis.* In *Bruto cap. 30. Stoicorum orationis genus exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum. Ibid. cap. 31. Stoicorum adſtrictior eſt oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt.* Et *de Orat. Lib. III cap. 18. Stoicorum orationis genus exile, abhorrens ab auribus uulgi, obſcurum, inane, ieiunum.*

men adducant horum elegantiam. At ſalua res eſt. Non omnes fuerunt in ea haereſi, quae FLORES et ELEGANTIAS eiurauerat. Non ſine re LAVRENTIVS VALLA,[q] *Legi proxime*, ait, *Digeſtorum libros, ex plerisque ICtorum uoluminibus excerptos, et relegi, cum libenter, tum* QVADAM CVM ADMIRATIONE. *Nihil eſt, mea ſententia, quod addi adimiue poſſe uideatur, non tam eloquentiae, quam Latinitatis atque* ELEGANTIAE. Nec a VALLAE iudicio abludit GRAVINA,[r] cum de priſcis ICtis ait: *Habuerunt noſtri* MAIESTATEM *ſine luxu*, FASTVM *ſine pompa*, SPLENDOREM *ſine fuco, ſine horrore* VENVSTATEM, *ſine caligine* BREVITATEM, *ac prae caeteris melius* ELEGANTIAM *cum ſimplicitate, cum* DECORE *proprietatem, et oraculorum ſanctimoniam* BLANDA *cum perſpicuitate, coniunxerunt.*[s] Certe eminuit hac laude inter omnes PAPINIANVS. Huius ELEGANTIAM diſerte commendant GRAVINA,[t] et DE LVDEWIG.[u] Audiatis uero, quae fuerint dotes INGENII PAPINIANEI. *Fuit Papinianus uir* INGENII SVMMI,[w] ACVTISSIMI,[x] EXCELSI,[y] *et* EXCELLENTIS.[z] INGENIVM *eius in omnibus reſponſis*,

q) LAVRENTIVS VALLA *de Elegantiis Lib. III. in prooem. pag.* 79.

r) IANVS VINCENTIVS GRAVINA *Orat.* 2.

s) Cum VALLA et GRAVINA facere uidetur GODOFR. GVIL. LEIBNITIVS, qui amico ſuo ſcribit: *Ego Digeſtorum opus, uel potius auctorum, unde excerpta ſunt, labores, admiror, nec quicquam nihi, ſine* RATIONVM ACVMEN. *ſine* DICENDI NERVOS, *ſpectes, quod magis accedat ad mathematicorum laudem.* Vid *Epiſt. Leibnit. Tom. I. Ep.* 119. 2. aut, ſi hic liber ad manum non ſit, fratris noſtri IO. MART. CHLADENII *Opuſc. acad. pag.* 165. *Theſ.* 81.

t) IAN. VINC. GRAVINA *de ortu et progreſſu Iur. Ciuil. cap.* 99. *p. m.* 124. *edit. Lipſ. an.* 1708.

u) IO. PETR. DE LVDEWIG in *Vita Iuſtiniani M. Cap. VIII. §.* 53. *p.* 286.

Digitized by Google

ſis, totoque genere orationis ELVCET.[a] *Non umbratilis ei animus ad iurgia et odia,*[b] et quae reliqua ſunt elogia, quae iam praetermitto.[c] Tum prodeat MVCIVS SCAEVOLA, TVLLIO teſte,[d] ELEGANTISSIMVS. Cedo uero, TVLLI, ELEGANTIAE cauſas. *Iuris ciuilis*, ille ait,[e] *magnus uſus, et apud Scaeuolam, et apud multos: ars in hoc uno, quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae doceret rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, ambigua primum uidere. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quae confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur.* Et clarius alibi:[f] *Cepi uoluptatem, tam* ORNATVM *uirum, tamque* EXCELLENS INGENIVM, *fuiſſe in noſtra republica.*

X

A IVRECONSVLTIS Romanis ad eos diuertor, quos ſemibarbara illa aetas tulit. An uero, ut laudem eorum ELEGANTIAM? Laudare uetat PHILELPHI dica, quam laudatoribus

D eorun-

w) *L. XIV. C. de ſentent. et interloc. et L. I. §. 6. C. de Vet. Iur. Enucl.*

x) *L. XXX. C. de fideicomm.*

y) *L. VI. §. 1. C. de inſtit. et ſubſtit.*

z) *L. un. Cod. Theod. de Reſponſ. Prud.*

a) IAN. VINC. GRAVINA *loc. cit.*

b) IO. PETR. DE LVDEWIG *loc. cit.*

c) Haec qui legere uelit, adeat ſcriptores, quos magno ſtudio collegit Celeb. GOTTL. AVG. IENICHEN *in not. ad* IO. SAM. BRVNQVELLI *Tract. de retractationibus ICtorum pag. 23.*

d) CICERO in *Bruto cap. 40.*

e) IDEM *ibid. cap. 41.*

f) IDEM *ibid. cap. 40.*

eorundem impingit. Grauem ille ſcribit ſatyram, cuius partem recitabo: [g]

> *Sunt Latio geniti de ſanguine, fama*
> *Inſignes et laude, uiri, uelut Aelius atque*
> *Caecilius fratres, Tubero Bruṭuſque Catoque*
> *Sulpiciuſque grauis - Hoſce, Georgi,*
> *Hos ſi forte uiros cupias cognoſcere, laudem*
> *Ipſe equidem. Verum, ſi quos perdiſcere uulgo*
> *Contendunt hebetes ſtolidae ruditatis alumni,*
> *Damno. Nec inſanam nequeo iam dicere mentem.*
> *Angelus et Baldus cumque iis Accurſius, Azo,*
> *Dinus, et iis ſimiles*, FVGIENDI, PESTIS VT ATRA,
> SVNT TIBI. *Si ſapias*, HOMINES *fuge doctus* INEPTOS,
> *Hos tu iure etenim* CONSVLTOS *forte uocaris,*
> *Quos ego iure putem* CONSTVLTOS *nempe uocandos,*
> *Et rabulas, qui nil aliud, niſi uendere nugas,*
> *Edidicere. Nihil rerum nouere bonarum.*

Quid

g) FRANCISCVS PHILELPHVS *Satyrar. Dec. II. Hecat. 2. u. 41.*

*) Elegantiſſimum uoco PHILELPHVM, et recte. Eius enim ingenii amoenitatem, iudicii acrimoniam, politiorum literarum cognitionem minime uulgarem, et, quae cetera elegantiae ſunt argumenta, altius commendat, ANTONIO LANCELOTO interprete, ACADEMIA REGIA PARISINA, cui ab ELEGANTIORIBVS LITERIS nomen eſt. Quis uero ulla in re, quae ad ingenii doctrinaeque laudem, elegantiam, ſpectet, iſtos recuſauerit iudices, quorum elegantiam et MAXIMVS REX in pretio habet, et uniuerſus, qua patet, orbis literarius ſuſpicit. Si Tibi, Lector, elegantia cordi, euolue *Les Memoires de* L'ACADEMIE ROYALE DES INSCRIPTIONS ET BELLES LETTRES *Tom. X. pag. 691. edit. Pariſ.*

h) Conqueritur certe ANDR. ALCIATVS in *Praefat. Libri de Verbor. Signif. pag. 4.* Accur-

Quid ergo, cum laudare neſas uideatur, an, praeeunte elegantiſſimo PHILELPHO,* uituperem? Nec hac uia tutus ambularem. Erciſcundum doctorem ago in hoc argumento. Peſſimo ſeculi genio, non ipſorum uitio, tribuo, quod artes ingenuas et ſtudia, quae INGENII AMOENITATEM operantur, ELEGANTIORA in iis deſideremus.[h] *Satis excuſati ſunt*, quod ait CHRISTIANVS THOMASIVS,[i] *barbarie ſuorum temporum*, *quibus* ELEGANTIORA STVDIA *cum hiſtoria omni ignorabantur.* Deinde non eſt, ut reprehendamus, ut potius miremur, improbum laborem, quo in arte legitima plurimi fuere uerſati. Nemo meam in rem conuenientius ſenſit et ſcripſit, quam BYNCKERSHOEKIVS,[k] qui, *priſca gens*, inquit, *Doctorum*, *ſi uerum amamus*, *in eruendis*, *pertinaci ſtudio*, *legum ſenſibus*, *plus praeſtitit*, *quam noſtri uel praeteriti ſeculi homines. Liquet id ex Accurſio*, *Bartolo*, *Baldo*, *et qui porro Sancti Patres in Iuriſprudentia habentur. Quae in his damnamus*, *fere* SECVLI VITIA SVNT. *Ceterum antiquos illos magiſtros habeamus ſuo loco et pretio*, *et ſciamus*, *nouos*, *etiam praecipuae dignationis*, *ſaepe docere*,

 quae

ſium, Bartolum, et id genus alios, ne ſummis quidem labris artes attigiſſe. Azoni praeſertim, ut reliquam turbam omittam, uitio uertit GVIDO PANZIROLLVS *de Clar. Leg. Interpr. Lib. II. cap. 1.* quod in artibus liberalibus parum profeciſſet. Interim huic ipſi Azoni, licet ab elegantia fuerit alieniſſimus, haec gloria manet, ad eius nominis celebritatem, decem, ſi credere fas, auditorum millia confluxiſſe, cumque INGENII LVMEN uocatum fuiſſe, cuius rei teſtis eſt PANZIROLLVS *loc. cit. cap. 25.* Hanc tamen famam et laudem, Accurſii exemplo, uulgi magis ſtupori, quam meritis et uirtutibus, tribuere uidetur IOSEPH. AVREL. DE IANVARIO *in Republica ICtorum pag. 141. edit. Menckenianae.*

i) CHRISTIAN. THOMASIVS in *Diſſ. praelim.* CAR. SIGONII *Libris de ant. Iure Pop. Rom. praemiſſa*, *§. 22.*

k) CORN. VAN BYNCKERSHOEK in *Praefat. Obſeru. Iur. Rom. pag. 2. edit. Heineccianae.*

Digitized by Google

quae ab iis didicerunt. ELEGANTIORES LITERAS attulit POSTERIOR AETAS. Ad hanc igitur aetatem, tanquam in campum amoeniorem, deſcendo.

XI

HVNC VBI campum perambulo, obuius primum eſt IACOBVS CVIACIVS, primarium illud, ſi ingenii laudem ſpectes, Galliae quondam ornamentum, Iureconſultus, omnium, Veſtro etiam, conſenſu ELEGANTIOR dicendus, imo dictus a multis. Attendite uero, quanam inprimis dote ad hanc laudem penetrauerit; Certe non alia, quam SVBTILI, AMOENO, et DELECTABILI, INGENIO, quod ubique, ſiue doceret, ſiue ſcriberet, oſtendit, et in quo laudando mire decertant ſcriptores. Alius enim fidem facit,[l] indefeſſum laborem in eo cum MAGNA INGENII VI amice coniuraſſe. Alius,[m] naturam ei PRAECELSVM ac plane COELESTE INGENIVM conceſſiſſe, CVIVS VNIVS OPE, nec ullis praeterea magiſtris adiutus, ſupremum illum eruditionis gradum attigerit. Alius laudat,[n] eum docuiſſe VNVM OMNIA,

l) FRANC. BROEVS in *Hiſt. Iur. Chronol.* apud FRID. IACOB. LEIKHERVM *de uitis clariſſ. ICtorum pag. 265.*

m) SCAEVOLA SAMMARTHANVS *Elog. Gallorum Lib. IV. Elog. 5. p. m. 199.*

n) IANVS VINC. GRAVINA *Orig. Iur. Ciu. Lib. I. §. 18 pag. 102. m. 9.*

o) CVNRADVS RITTERSHVSIVS in *uita Salniani*, operibus eius praemiſſa *pag. 11.* et Celeb. FRANC. CAROL. CONRADI in *Praef. ad* GOTHOFREDI *Opuſc. p. 4.* Adde *Les Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres*

OMNIA, et SEMPER SVA; quo elogio comprobatur, doctrinam Cuiacianam, et RERVM VARIETATE et NOVITATE, commendabilem fuiſſe. Alii[o] inde, quod docendo ſcribendoque DELECTARET, et artem ſuam, INGENIO AMOENITATES SVGGERENTE, AMOENIOREM redderet, SOLEM IVRISPRVDENTIAE, SOLVM IVRECONSVLTVM, appellarunt. Alius[p] MARGARITAM ICTORVM, alius[q] AQVILAM dixit, ob EXCELSVM INGENIVM. Vix quiſquam uero AMOENITATEM, quae regnat in ſcriptis Cuiacianis, melius expreſſit, quam IOANNES AVEZANVS, Aurelianenſium Anteceſſor, qui de CVIACIO, *hunc nunquam legeris*, inquit,[r] *ſine fructu, et quo ſaepius legas, plus auferas; Continua* FERTILITAS *eſt. Quicquid legitur in eius libris*, NITET *quidem et* FVLGET *in cortice, ſed* DVLCIVS *in medulla eſt, indeque fit, ut omnes candidi et aequi ingeniorum aeſtimatores eruditionem eius extollant et ſuſpiciant*, INGENII *illius* MONVMENTA *et labores, in ſeculi gloriam et reipublicae utilitatem emenſos, laudent.* Haec ad CVIACII elegantiam. Eccur uero ANDREAM ALCIATVM elegantioribus accenſent? Cauſas dabit VLRICVS HVBERVS:[s] *Ad ſcripta* ALCIATI,

D 3 ſi ab

dans la République des lettres Tom VII. pag. 167. CVIACIVS: *on l'a appellé le* JVRISCONSVLTE PAR EXCELLENCE.

p) IOSEPH. SCALIGER in *Scaligerianis.*

q) Excell. EVERARDVS OTTO in *Praefat. Comment. Inſtitut. pag. 18.*

r) IOANNES D'AVEZAN in *Vita* IANI A COSTA in Illuſtr. CHRIST. GOTTL. BVDERI *Vitis ICtorum pag. 179.*

s) VLR. HVBERVS in *Orat. de literis human. cum Iuriſprud. coniungendis pag. 296. in ſelect. opuſc.* BVDERI.

ſi ab Accurſianis et Bartoliſtis tranſeatis, non aliter uobiſcum agi putabitis, quam ſi e domo, ſitu et aranearum telis obſita, in AEDES PVLCHERRIMAS, *et* ARGENTO AVREAQVE SVPELLECTILE RENIDENTES, *aſcendatis. Quae* AMOENITAS ET INCREDIBILIS DELECTATIO, *praeter* VTILITATIS *reſpectum, uos inuitabit.* At audio, AEMYLIVM FERRETVM Alciato laude parem ui leri IVLIO RONDELINO,[t] eiuſdemque doctrinas ELEGANTIORES commendari ab Illuſtri BVDERO.[u] Quid eſt uero, quod mouit utrumque? *Fuit* FERRETVS INGENIO VEHEMENTISSIMO *et* PERSPICACISSIMO, *iudicio acerrimo, lingua diſertiſſima, omnibus artibus libero dignis inſtructiſſimus.* RAPIEBAT AVDIENTIVM ANIMOS, *tum* ACVMINE *et interpretandi ſubtilitate, tum diſſerendi copia, docendi peritia, dicendi ſine affectatione*, FACVNDIA INCREDIBILI. *Fuit* NATVRAE *quoddam* MIRACVLVM.[w] *De* REBVS IVCVNDIS *plerumque ſermonem faciebat, de ſeriis fere ſemper* APPOSITE, *ſapienterque diſputabat, ex quarum auditione non ſolum prudentior, ſed etiam melior, redibat, quam acceſſerat, qui eum loquentem audiuerat;*[x] et quae ſunt reliqua teſtimonia, tum ad eius modeſtiam et ceteras animi dotes,

✡ ✡

t) IVLIVS RONDELINVS in *Praef. Libris Dictatorum ſeu Praelect. in ff.* FERRETI *praemiſſa*, uerbis: *Noſtra uero aetas, poſt Iuſtinianum feliciſſima, duos tulit, quibus, nec uoluntas, nec facultas, reſtaurandae Iuriſprudentiae defuit,* AEMYLIVM *ſcilicet* FERRETVM *et* ANDREAM ALCIATVM, *a quibus magis* RECREATA *haec noſtra ſtudia, quam ab aliis affecta, fuerint, iudico.*

u) CHRIST. GOTTL. BVDERVS in *Notis ad* HELENI RIBITTI *Vitam* FERRETI *pag. 21.*

w) HELENVS RIBITTVS in *Vita* FERRETI *pag. 19. et 26. edit.* BVDERI. Merito igitur inter illuſtres in republica literaria perſonas FERRETVM referunt *les Memoires pour ſervir à*

dotes, tum ad cultum liberaliorem et mores iucundos, ſpectantia, ex quorum mole unicum ſaltem tango, nimirum Diſtichon elegantiſſimum, quod imagini FERRETI adſcripſit PETRVS PROMACHVS, cuius luſus ſatis prodit, AMOENISSIMIS et BLANDIS MORIBVS inſtructum fuiſſe FERRETVM. Sic habet Diſtichon:[y]

Γνήσιον Ἀιμυλίȣ Φεῤῥεττȣ͂ ἐικόνα ὄπτῃ.
Ἐικὼν μὲν σιγᾷ, ἀιμύλος[z] ἀλλ' ὅδ' ἔ.

Natiuam Aemylii Ferreti hic icona cernis.
Muta quidem eſt icon, HAEMYLVS *aſt is erat.*

XII

NE BIOGRAPHOS omnes compilaſſe uidear, nonniſi duos adhuc producam Iureconſultos, quibus ELEGANTIAE LAVDEM nemo non impertit, niſi, quem tangat liuor. Alter eſt AEGIDIVS MENAGIVS, ingenioſiſſimus ille AMOENITATVM architectus. Elegantiae uero cauſas exponam elegantiſſimi laudatoris eius uerbis:[a] *Fuit* AMOENI VIR INGENII, *qui* VENVSTATEM

et

l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republique des lettres Tom. V. pag. 13.

x) STEPHANVS BADEREVS in *Praefat. in Libros Dictatorum operibus eius praemiſſa.*

y) Adſcriptum illud legitur effigiei FERRETI, quae operibus eius praemiſſa eſt.

z) Ἀιμύλος Graecis eſt blandus, feſtiuus, lepidus, AMOENVS et DELECTABILIS.

a) IO. GVIL. HOFFMANNVS in *Praefat. ad* AEGIDII MENAGII *Amoenit. Iuris p. 1. et 7.* Conf. de laudibus Menagii PETRVM BAYLIVM *Diction. uoce: Menage.*

et LEPORES, *quicquid ſcriberet, ſectabatur, et ab hominibus ſuorum temporum, quod in uariis linguis et ſcientiis* IVCVNDVS *eſſet, plurium fluuiorum cygnus dici meruit, qui in omnibus, quas amabat, diſciplinis, ubiuis* RENIDERE, *imo in uniuerſum in omnibus ſuis dictis et factis* IVCVNDVS *eſſe uoluit.*[b] Aetate Menagium ſequitur, elegantiae uero laude ei non cedit, CORNELIVS VAN BYNCKERSHOEK, quem literae elegantiores et elegantior Iuriſprudentia nunc luget acerbius. In hoc laudatiſſimus quidam ICtus[c] laudat INGENIVM SOLERS et incredibilem, quo omnia ſua condire ſoleat, CVLTVM ORATIONIS; laudat etiam, in ſcriptis eius nihil lectori ſeſe offerre, niſi quod EXQVISITVM et ELEGANS, nihil, quod iam ab aliis dictum obſeruatumque. Ipſe BYNCKERSHOEKIVS alicubi de ſe ſcribit,[d] *nihil ſe data opera ſcripſiſſe, quod ante eum occupauerit alius.* Si deſideretis AMOENITATEM, hanc quoque ſectatus eſt BYNCKERSHOEKIVS. Ipſe ait:[e] *Tunc otio recte uti mihi uideor, cum in haec* AMOENIORA *diuerto, tunc animum, forenſi opera feſſum,* OBLECTARE *et reficere, quum his blanditiis murmura fori commuto.* Et alibi:[f] *Nunc difficiliora, nunc* AMOENIORA, *ſelegi*, GRATA VARIETATE, manifeſtiſſimo indicio, eum nec AMOENITATIBVS

b) Audias ipſum MENAGIVM: *Inſcripſimus eas* AMOENITATES IVRIS, *inſcriptione noua et* ELEGANTI. *Sed et materiae* AMOENITATE *iuuenes foro mancipatos* ALLICIENDO, *ac, uelmi quodam* IVCVNDIORIS DISCIPLINAE *lacte, paſcendo, paulatim reducere uoluimus ad ſtudium paene deſertae ciuilis ſapientiae.* Sic ille ſcribit in *Epiſtola ad* LVDOVICVM NVBLAEVM, *Amoenitatibus praemiſſa pag. 6. edit. Hoffmannianae.*

Digitized by Google

BVS nec DELECTANDI STVDIO fuiſſe inimicum. Iam temporum ordo, quem hactenus ſecutus ſum, poſcere uidetur, ut ex Iureconſultis, quorum ELEGANTIA hoc, quo uiuimus, ſeculum etiamnunc ornat, excitem, uel duos, ut eorundem quoque exemplo meam corroborem doctrinam. Sed has partes nolo attingere. Difficile eſt, et omnino anceps, argumentum, laudare uiuentem. Siquidem in illud diſcrimen facile adducitur laudator, ut aut minus dixiſſe, aut, ſi uera dicat, aſſentari, uideatur. Ego uero neutrum. Nam minus dixiſſe, et laudi alicuius detraxiſſe quicquam, per Deum, nollem. Sed nollem etiam aſſentator uideri. Ab hoc enim ſtudio genii mei ſimplicitas ſemper fuit aliena.

XIII

VIDETIS VERO, cui fini iſta paulo copioſius ediſſeruerim, nempe, ut aliquantulum illuſtrarem IVRECONSVLTI ELEGANTIORIS, quam dedi, deſcriptionem. Hunc uero deſcripſi, ut facilis eſſet tranſitus ad IVRISPRVDENTIAM ELEGANTIOREM, cuius, niſi fallor, expectatis definitionem. Non inepte forſitan

ELE-

c) IO. GOTTL. HEINECCIVS in *Praefat. ad* CORN. VAN BYNCKERSHOEK *Obſeruat. Iuris Rom. in init.*

d) CORN. VAN BYNCKERSHOEK in *Praef. Tom. I. Obſeru. Iur. Rom. pag.* 11. *edit. Heineccianae.*

e) IDEM *ibidem pag.* 9.

f) IDEM *ibidem.*

ELEGANTIOREM IVRISPRVDENTIAM dicerem, quam profitetur Iureconſultus elegantior. Sed aliud quid agitat animus. Frequenter dicimus in ſcholis noſtris Iuriſprudentiam PERFECTAM, SOLIDAM, MASCVLAM. Crediderim uero, pro Synonymis plane has uoces haberi non poſſe, ſed, ſi rem curatius dimetiamur, diuerſiſſimam eſſe earum uim et poteſtatem. Sic igitur concipienda uidetur finitio, ut appareat, quid ELEGANTIOR Iuriſprudentia differat a MASCVLA, quid a SOLIDA et PERFECTA. Mihi quidem res ita uidetur expedienda. PERFECTA et SOLIDA, quibus uocibus uere ſynonymice utimur, dicitur Iuriſprudentia, quae PARTIBVS ſuis ESSENTIALIBVS conſtat, et cui nihil deeſt, quod ad inſtruendum iuriſprudentiae fundum NECESSARIO pertineat. Iam, ſi intra hos fines et cancellos ſubſiſtat Iuriſprudentia, nec aliud quidpiam adſciſcat, quod ad ORNATVM, et ad DELECTATIONEM faciat, SOLIDA quidem et PERFECTA manet, ſed in ſpecie MASCVLAE nomen tuetur.[g] Si uero PRAETER NECESSARIAS PARTES ea quoque ſectetur, quae ad ORNATVM

et

g) Maxime in rem meam faciunt uerba CORNELII VAN BYNCKERSHOEK in *Praef. Obſeruat. Iur. Rom. pag. 2. ut* MASCVLA *et* SOLIDA *ſit, ne putemus ſuſſicere, ſumma legum capita nouiſſe, niſi* EX ASSE *ſimus ICti, et omnes boni interpretis partes expleamus. Priſca gens doctorum in eruendis legum ſenſibus plus praeſtitit, quam noſtri uel praeteriti ſeculi homines. Liquet id ex Accurſio, Bartolo - - Poſterior aetas attulit elegantiores literas.* Adderem ego: et ELEGANTIORES IVRECONSVLTOS.

h) Hoc MASCVLAM inter et ELEGANTIOREM Iuriſprudentiam diſcrimen animo agitaſſe uidetur IVLIVS RONDELINVS, ubi in *Praef. Libris Dictatorum praemiſſa*, ſcripſit: *Ab* AEMYLIO FERRETO, *et* ANDREA ALCIATO, (quorum elegantiam laudaui antea) *magis* RECREATA *haec noſtra ſtudia, quam ab aliis affecta, fuerunt. Hi principali ſtudio iuriſprudentiae incubuerunt, ex ingenuis tamen artibus nullam praetermiſerunt - - ut nouum non ſit, ſi ex multa eruditione, ex pluribus artibus, ex longo uſu et experien-*

et DELECTATIONEM pertinent, ſi DVLCE quid et AMOENVM admixtum habeat, SOLIDA etiam et PERFECTA erit, at in ſpecie ELEGANTIOR dicetur.[h] Ex quo apparet, PERFECTAM SOLIDAMQVE Iuriſprudentiam GENERIS uicem ſuſtinere, et duas ueluti SPECIES eius eſſe MASCVLAM et ELEGANTIOREM. Clarior fiet haec doctrina, ſi exemplo eam illuſtrauero. Prodeat iterum M. CATO. Hunc TVLLIVS[i] iuris ciuilis omnium periſſimum uocat, ut igitur SOLIDAE quidem PERFECTAEque iuriſprudentiae laudem procul dubio mereatur. Vtrum uero MASCVLAM, an ELEGANTIOREM, recte dixerim iuriſprudentiam, quae in eo fuit conſpicua, facile diiudicabitis, ſi uerbis VLRICI HVBERI[k] effinxero illius imaginem: *Nihil M. Cato* OSTENTATIONIS, *nihil* VOLVPTATIS, *et uix quicquam* ORNATVS *cauſa*, *affectabat. Vir antiquae ſeueritatis*, *ab omni* NOVITATE, ELEGANTIA, CVLTVQVE AMOENIORI, *paene moroſe* ALIENVS. Iam intelligitis, MASCVLAE quidem Iuriſprudentiae, non uero ELEGANTIORIS, laudem Catoni tribuendam eſſe.[l] Scilicet ipſi

 PER-

tia, uaria lectione, admirabilis quaedam prudentia in eis exuberet, quam omnes in ICto deſiderant. Hi ſunt locupletes et beati, qui non eo ſolum teguntur tecto, quod uentos imbreſque arceat, ſed quod VISVM *etiam* OCVLOSQVE DELECTET. *Nec ea inſtructi ſunt ſupellectile, quae* NECESSARIIS VSIBVS *ſufficiat, ſed in apparatu habeant et* AVRVM *et* GEMMAS, *quas ſumere in manus, aut ſaepius inſpicere poſſint.* Quem locum adſcripſiſſe eo minus poeniter, quanto ille magis cum ad huius §. tum ad eorum, quae ſupra expoſui, illuſtrationem ſpectat.

i) CICERO *de Orat. Lib. I. cap. 37.*

k) VLRICVS HVBERVS in *Orat. de lit. human. cum iuriſprud. coniungendis p. 283. edit. Iuuſtr.* BVDERI.

l) Aliud Exemplum ICti, in quo MASCVLAM fortaſſe, non tamen ELEGANTIOREM, laudares iuriſprudentiam, inueni in AMMIANO

PERFECTIONIS GRADVS [m] MASCVLAE et ELEGANTIORIS Iuriſprudentiae uocibus ſignificantur, et PERFECTVS quidem Iureconſultus dicitur, qui MASCVLAM, [n] PERFECTIOR tamen, qui ELEGANTIOREM, profitetur. Certe ad hos gradus reſpicere uidetur ANTONIVS MVRETVS, cum de ſe ipſo narrat, [o] *ſe primum foro deſtinatum, magnoque paratu ad id inſtructum, fuiſſe, forte tamen ſubito in* ELEGANTIORVM IVRECONSVLTORVM, *Budaei, Alciati, aliorum, ſcripta, incidiſſe, et exinde ſe ad literas graecas latinaſque conuertiſſe, et inde omnia collegiſſe, quibus Iuriſprudentia* INSTRVCTIOR ET ORNATIOR *fieri poſſe uideretur.* His enim uerbis innuit, ſe non ad MASCVLAM ſaltem, ſed, ALCIATI, BVDAEI, elegantiorum ICtorum, exemplo, ad ORNATIOREM etiam, hoc eſt, ELEGANTIOREM Iuriſprudentiam contendiſſe. [p] INSTRVCTIOR nimirum et SINE ORNATV eſſe poteſt. Si tamen ORNATVS accedat, ELEGANTIOR efficitur. [q] Sane huic argu-

MARCELLINO *Lib. XIV. cap. 16. pag. 19. edit.* HADRIANI VALESII. Ait MARCELLINVS de ORFITO: *Erat uir prudens, et forenſium negotiorum oppido gnarus, ſed* SPLENDORE LIBERALIVM DOCTRINARVM *minus, quam nobilem decuerat, inſtitutus.* In ELEGANTIORI uero ICto laudamus illum SPLENDOREM.

m) Confer *§. XVIII. not. o.*

n) Rem aliquam PERFECTAM eſſe poſſe SINE ELEGANTIA, auctor eſt CICERO *de finibus Lib. II. cap. 9.* cum, de Philoſophia EPICVRI differens, ait: *Rem ipſam* PROBO, ELEGANTIAM DESIDERO. Recte quis idem hoc dixerit de MASCVLA iuriſprudentia.

o) ANTONIVS MVRETVS *Volum. I. Orat. XV. pag. 142.*

p) Merito igitur MVRETI ELEGANTIAM commendat IOSEPH. AVREL. DE IANVARIO in *Republica ICtorum pag. 249. Edit. Menckenianae.*

q) Cum igitur ELEGANTIOR Iuriſprudentia ORNATVM et FLORES ſectetur, non incommode eam, alia uoce, dixero IVRISPRVDEN-

argumento accommodatiſſimum uidetur, quod SENECA*) definiat, dari artes alias, quae uitam INSTRVANT, alias, quae ORNENT. Quid uero, ſi ego praeſtarem, eſſe in arte noſtra, in Iuriſprudentia, et, quae INSTRVANT IVRECONSVLTVM, et, quae ORNENT. MASCVLAE Iuriſprudentiae ea laus eſt, quod ſit INSTRVCTA. At ELEGANTIOREM laudamus, tum, quod INSTRVCTA ſit, tum, quod ORNATA.

XIV

TAM SPECIOSA, tamque elegans, cum ſit ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE facies, mirum certe uidetur, quod plures illa experiatur oſores ſui, quam amatores. Fere commune eſt, teſte celeberrimo EVERARDO OTTONE,r) ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE FASTIDIVM. Nec eſt, ut huius ſaltem ſeculi genium accuſem. Iſta iam aetas, quae BVDAEOS, CVIACIOS,

TIAM FLORIDAM, ſignificatu quidem, in ſtyli doctrina et arte poëtica, recepto. Scilicet FLORIDVM dicendi genus differt a PLENO. PLENVM uocant, cui nihil deſit, quod deſideretur. FLORIDVM uero dicunt, eſſe ipſum plenum, ſed cui addatur aliquid, quod ſine iactura deduci queat, hoc autem, quod addatur, AMOENVM eſſe, et facere AD DELECTATIONEM. Verbis nempe utor IVLII CAESARIS SCALIGERI *Poetic. Lib. IV. cap. 8. et 9.* Vtrique uero termino nihil magis reſpondet, quam MASCVLVM et ELEGANS, adeo ut MASCVLAM iuriſprudentiam non inepte PLENAM, et ELEGANTIOREM haud incommode FLORIDAM appellauerim. In illa nimirum nihil deeſt, QVOD DESIDERETVR. Haec uero, praeter ea, quae deſiderantur, ea etiam complectitur, QVAE AMOENA SVNT ET AD DELECTATIONEM FACIVNT, quaeque adeo ſine iactura deduci poſſunt. FLORIDA uero iuriſprudentia *infra §. XIX. in fine* audiet et FLORENS.

*) SENECA *de Conſolat. ad Marciam cap. XVIII.*

r) EVERARDVS OTTO in *Praefat. Volum. I Theſauri Iuris Rom.*

CIOS, ALCIATOS, tulit, hac laborauit labe. Deſpicatui habebantur INGENIA, quae doctrinas iſtorum ICtorum imbiberant. Nouam, et barbaram ſatis, uocem inueniebant barbara iſtius ſeculi ingenia, qua ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE SECTATORES inſignirent. HVMANISTAS ſcommatice appellabant.[s] Idem hoc uitium ſuperiori ſeculo nimium quantum adhaeſiſſe, pluribus conſtat ex documentis. Scilicet populare erat, politiores et elegantiores literas ſtomachari. Audiatis Rhetorem diſertiſſimum, OCTAVIVM FERRARIVM, eam in rem elegantiſſime diſſerentem.[t] *Literas elegantiores*, ille inquit, *non inutiles modo, ſed uiro honeſto ac nobili plane indecoras, peruerſa perſuaſione, cum ſupercilio, pronunciant, atque, ſi Deo placet, infra Grammaticorum ſubſellia detrudunt, et, cum ipſi literarum nihil ſciant, literati ac doctoris nomen ad contumeliam trahunt, quaſi literas ignorare, ea demum nobilitatis nota et argumentum ſit. Nec politiores modo literas ac ſtudiorum amoenitatem deſpicatui habent, ſed, quicquid uſquam artium ac diſciplinarum, queis uita conſtat, rem plebeiam ac ſordidam et generoſo homine indignam praedicant, nec in ordinem modo redigunt, ſed prope inter mechanicas connumerant.*

Haec

s) IO. GOTTL. HEINECCIVS in *Praef. Antiquit. Iuris Rom. pag. 5.*

t) OCTAVIVS FERRARIVS in *Cecrop. ſiue de uera nobilitate pag. m. 482. edit. Fabricianae.* Repete ſimul FERRARII Locum, quem *ſupra §. III. not. w.* adſcripſi.

u) Ego certe, uel maxima mea iniuria, huius rei experimentum aliquando cepi. Narrabo fabulam, etiamſi memoriam eius aegre repetam. Typis deſcribi curo ſcriptum meum de SCto tacito, quod, quanto magis ab elegantiae laude abeſt, tanto maius in eruendo nobili iſto antiquitatis cimelio elaborat. Typis deſcriptum

Haec FERRARII querela ad ſuperius ſpectat ſeculum. Quid uero de noſtro dicam. An contendam, melius nunc agi de ELEGANTIA et ELEGANTIAE SECTATORIBVS, quam actum quondam? Ipſi Vos, ſi placet, eſtote iudices. Recordemini, quoties Vos, uel cum taedio, audiueritis, ſtudia amoeniora et literas politiores, et reliquum ELEGANTIAE PARATVM, aliis, imo, quod meminiſſe animus horret, aliquando ipſis artis noſtrae myſtis, audire pigmenta et offucias meras, aliis grammaticam ſupellectilem, aliis literas, quae in pompam ſaltem addiſcantur,* et quae reliqua ſunt conuicia. Quicquid illi uero conuicientur, nihil elegantioris iuriſprudentiae dignationi detrahent. Ipſa illa conuicia manifeſtiſſimum indicium faciunt, eos ELEGANTIORVM SCIENTIARVM DELICIAS nunquam deguſtaſſe, ſed ex ſolo fortaſſe lucro dignitatem artium aeſtimare ſolitos, adeoque ſuſpectos, in hac cauſa, iudices eſſe. Stat VALLAE ſententia, cuius auctoritate me tueor in hac arena, SINE ELEGANTIA COECAM eſſe et ILLIBERALEM IVRIS CIVILIS DOCTRINAM. w) An igitur fallar, ſi, ex VALLAE ſententia, iuriſprudentiam, elegantiae prorſus expertem et inimicam, COECAM dixerim

diuulgo. Offero omnibus, qui mihi et qualibuſcunque ſtudiis meis bene cupere uidentur. Offero etiam ſui ſeculi non infimi uiro, ueniamque tenui opellae rogo. Ille uero grauiter, ſibi, inquit, uideri, antiquitatis quandam partem a me pertractari. Eſſe illum ſeculi genium, ut ſpiret ubique, et facile nos delectet, *der gelehrte Wind.* Quid ego contra ad haec, niſi domuitionem maturare, et grauiter indolere, quod iſte mihi contingeret laudator.

w) LAVRENTIVS VALLA *de Elegantiis Lib. III. in prooem. pag.* 79.

dixerim et ILLIBERALEM, maxime, cum, ex mente TVLLII,[x] artes elegantes illiberalibus opponantur? An fallar, ſi eam dixerim POPVLAREM VVLGAREMque? Elegantioribus enim popularia et uulgaria opponit CICERO.[y] An fallar, ſi PLEBEIAM et meretricis uiliſſimae inſtar proſtantem? Sic enim non nemo[z] uocat iuriſprudentiam, quae ea negligit, quae ſcire iuuat. Atqui iuuat ſcire et ea, quae ad MAIESTATEM, ad ORNATVM SPLENDOREMque, hoc eſt, ad ELEGANTIAM, artis noſtrae ſpectant. An, ſi QVAESTVARIAM uel MERITORIAM, ſi quidem, praeter lucri famem et quaeſtum, nihil ſpiret, quod ad INGENII CVLTVM LAVDEMque pertineat. Meritoriae uero artes et quaeſtuariae ſunt, quae ad aes exeunt,[a] uentremque ſolum paſcunt, et ingenium detinent magis, quam praeparant,[b] eaſdemque opponimus liberalibus et elegantioribus, hoc eſt, iis, quae ingenium magis paſcunt, quam uentrem. Rectiſſime igitur, ſi quid iudico, BALDVINVS,[c] BONI IVRECONSVLTI *linguam non eſſe* MERITORIAM, contendit; Quid ſi ego adderem, nec MERITORIVM eſſe BONI IVRECONSVLTI INGENIVM?

XV

x) CICERO *de finibus Lib. III. cap. 2. init.*

y) CICERO *de finibus Lib. IV. cap. 10.* Et in *Bruto cap. 76.*

z) Celeb. IO. VLRICVS CRAMERVS *de ICto inuentore pag. 23.*

a) Memorabilis eſt locus SENECAE in *Epiſtola LXXXVIII. De liberalibus ſtudiis quid ſentiam, ſcire deſideras. Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, quod* AD AES EXIT. MERITORIA ARTIFICIA *ſunt eatenus utilia, ſi* PRAEPARANT INGENIA, *non detinent.*

X V

QVID ERGO? an nobiliſſimo cauſas orantium ordini hoc nomine impingemus dicam? An, ELEGANTIAM ab ADVOCATI nomine plane abhorrere, contendemus? Deus aliam mentem. Nihil ordinis huius dignationi detractum uelim. IMPERATORVM eſt auctoritas, quae, detraxiſſe quicquam, uetat.[d] Potius auctor forem, non aptius eſſe, ad oſtentandam INGENII VIM, promerendamque ELEGANTIAE LAVDEM, munus, quam eius, qui cauſas orat. Tantum enim abeſt, ut ab ELEGANTIA forum abhorreat, ut potius ad FLOREM SPLENDOREMQVE IVDICII facere credatur, ſi illud oratoribus abundet, INGENIO et ELEGANTIA florentibus. FLOREBANT, quod ait MARCELLINVS,[e] ELEGANTIAE *priſcae* PATROCINIIS, *tribunalia: cum oratores concitae facundiae, attenti ſtudiis doctrinarum*, INGENIO, *fide, copiis* ORNAMENTISQVE DICENDI *pluribus, eminebant.* Certe ELEGANTIORIBVS IVRECONSVLTIS accenſendi fuerunt cauſarum patroni, quos TVLLIVS memorat,[f] *hanc dignitatem*, INGENIO SIBI AVCTORE, *reperiſſe, tandemque perfeciſſe, ut, in reſpondendo iure, auctoritate*

b) Hinc quaeſtuoſas artes iis, quae ingenii cultum promouent, opponit OCTAV. FERRARIVS in *Chirone ſiue de recta inſtitutione pag. 464. edit. Fabricianae.*

c) FRANC. BALDVINVS in *Papiniano.*

d) Paſſim IMPERATORES in Legibus Codicis laudant aduocati munus, praeſertim LEO et ANTHEMIVS in *L. XIV. C. de aduoc. diu. iudicior.*

e) AMMIANVS MARCELLINVS *Lib. XXX cap. 4.*

f) CICERO *de Orator. Lib. I. cap. 45.*

ritate plus etiam, quam ipſo INGENIO, *ualerent.* Imo ADVOCATI ELEGANTIORIS deſcriptionem audiuiſſe credetis, ſi Tullianam pericopen recitauero: [g] *Non cauſidicum, neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam, hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum uirum, qui primum ſit eius iuris antiſtes, cuius cum ipſa natura magnam homini facultatem daret, tamen* ESSE DEVS PVTETVR, *deinde qui poſſit* INGENII PRAESIDIO *innocentiam iudiciorum poena liberare, idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore reducere, - qui denique, quemcunque in animis hominum motum res et cauſa poſtulet, eum dicendo uel excitare poſſit uel ſedare.* Ne quid fauori dare uidear, ipſis rerum argumentis ea, quae dixi, comprobabo. CVIACII elegantiam nemo uocabit in controuerſiam. At ille adoleſcentiam pene omnem in ſtrepitu forenſi exegit. Habet igitur, ut ſcribat ingenioſiſſimus IANVARIVS: [h] *Sed quaeſo, a Cuiacio non diſcedamus. At non is eſt Cuiacius, qui maturiori aetate* FORI STVDIVM *coluit? Argumento ſunt quinquaginta, quas edidit, conſultationes, quibus docemur,* ELEGANTIAM A FORO MINIME ABHORRERE. Tum memorabile ELEGANTIORIS IVRECONSVLTI exemplum praebet FRANCISCVS PVTEVS, nobiliſſimus apud Venetos quondam cauſarum patronus, quo uere non meminerim

g) CICERO *ibid. cap.* 46.

h) IOSEPH. AVREL. DE IANVARIO *de Republica ICtorum pag.* 182. *edit. Menckenianae.*

nerim laudatiorem. Laudatorem ille, poſt fata, nactus eſt OCTAVIVM FERRARIVM, qui, in prolixa laudum commemoratione, [i] his praeſertim utitur uerbis: *Neminem ego mortalium noui, qui plus* NATVRAE SVAE *deberet, ut, quod de poëtis dicitur, hic orator natus ſit. Tanta* INGENII CLARITAS *dexteritasque inerat, tam profunda memoria, tanta urbanitas, ac* FACETIARVM LEPOS - *Nemo noſtri facundiam aequauerit, qui a tabulis imparatus, nec nocte inter libellos exacta, plures palmas, quam dies, numerabat, et extemporanea illa felicitate, abundanti doctrina, et* INCREDIBILI VARIETATE *et* COPIA, *adeo ſe cauſae peritum oſtendebat, quaſi in eius meditationem menſem impendiſſet. Poëtarum lectione inſtructus,* ACVMINVM LEPORE, *tanta* DICTORVM DVLCEDINE ANIMOS ALLICIEBAT, *ut mirabiles ad eum audiendum concurſus fierent, nec forenſis modo concio, et tunicatus populus, dicenti circumfunderetur, ſed, praeter exteros, etiam matronae honeſtiſſimae, et ipſe ſexus, publico abſtinens, tenere ſe domi neſciret. Nemo peregrinam puppim ad haec litora uertebat, ad locorum miracula et amoenitatem, qui non illico ad Puteum audiendum accederet, nec plebeii modo et obſcuri hoſpites, ſed principes, ſed magna purpurati ſenatus capita, ſed Caeſaris regumque legati, inter urbis uiſenda Puteum numerabant.* - INGENIVM *ille habebat in numerato.* Tulit

hoc

i) OCTAVIVS FERRARIVS *de laudibus Franciſci Putei Proluſ. XV. pag. 191. ſeq. edit. Fabricianae.*

hoc ipſum ſeculum, et fert, niſi fallor, etiam nunc, Aduocatum, quo negarem quemquam magis accedere ad ELEGANTIORIS IVRECONSVLTI laudem. Is eſt IOSEPHVS AVRELIVS DE IANVARIO, quem antea, teſtem elegantiae Cuiacianae, produxi, urbis Neapolitanae, an dicam Italiae, ornamentum. Huius de republica ICtorum libellus, Neapoli impreſſus, tantam ſpirabat ELEGANTIAM, ut dignum iudicaret Illuſtris FRIDERICVS OTTO MENCKENIVS, quem typis deſcribi curaret, deſcriptumque ipſi Ianuario dicaret, adiecto operis et auctoris elogio. Pars elogii, quae huc ſpectat, hunc in modum eſt concepta:[k] *Noueras ſcilicet, ſi unum id ageres, ut doceres lectores tuos, et ſeuera fronte ad interpretanda iura te conuerteres, habiturum te ex gente noſtra, ſi non ſuperiores, certe pares aliquos. Itaque, callido artificio, urbanitate grauitatem temperaſti, et id, quod* SVAVE AC IVCVNDVM EST, IN HORRIDA DVMETA LEGVM INTVLISTI; *ut, quae fuerat* RVGOSA *nuper, et* AVSTERO CVLTV *inceſſerat*, AMABILIS *per te facta ſit et* VENVSTA IVRISPRVDENTIA. *Quem enim non argumenti ſtatim, in quo uerſaris, partim* NOVITAS *alliciat, partim* ELEGANTIA DELECTET? - *Quis uidiſſe ſe unquam pulchrius quid elegantiſſimis illis, artificioſiſſimeque pictis, et ad uiuum expreſſis prorſus, ueterum ICtorum imaginibus, et exquiſitis earum coloribus, dicat, nec in his omnibus dexterrimi*

k) FRID. OTTO MENCKENIVS in *Dedicat. Libri* IOS. AVR. DE IANVARIO *d. Republica ICtorum p.* 12.

rimi manum artificis agnoſcat? Ex his abunde conſtat, ab ADVOCATI nomine alienam non eſſe ELEGANTIAE laudem. Simul tamen intelligetur, quos tandem laus illa maneat. Eos nimirum, qui, INGENII PRAESIDIO INSTRVCTI, LAVDEM magis INGENII et GLORIAM ſectantur, quam quaeſtum, et mechanicum illud lucrum, quod mores generoſos inquinat.[l] Ceteri, quibus merces et quaeſtus eſt pro gloria, quibus ſordet omnis PARATVS INGENII, qui iurgia et iras locant, quibus moroſum et tricis conſtrictum ſortito obtigit a natura ingenium, tanto certius ELEGANTIAE laude excidunt, quanto grauior IMPERATORVM uox eſt:[m] *Honoratis eouſque liceat orare, quouſque maluerint, uidelicet, ut* NON AD TVRPE COMPENDIVM STIPEMQVE DEFORMEM *haec arripiatur occaſio, ſed* LAVDIS PER EAM AVGMENTA QVAERANTVR. *Nam, ſi lucro pecuniaque capiantur, ueluti abiecti et degeneres* INTER VILISSIMOS NVMERABVNTVR. Siccine uero, inquiet elegantiae obtrectator, ſi quaeſtum mercedemque reſpicere nefas, ad ſaccum certe cogetur ire elegantior Iureconſultus cum ſua elegantia. Nec gloria, nec ingenii laus, ei dapem, et reliquam rem familiarem, inſtruet. At ſalua res eſt. Non decoquit ſui cultoribus elegantior Iuriſprudentia. Certe OPVLENTIOREM ADVOCATVM non uidit Italia, quam FRANCISCVM PVTEVM, cu-

F 3 ius

l) PLATO *de Legibus, Dial. V. pag. m.* 156. m) *L. VI. §. 5. C. de poſtulando.*

ius ELEGANTIAM mox laudaui. Audiatis FERRARIVM:[n] *Haec Puteo immenſam gloriam, magnasque opes, et, ſi in auarum incidiſſent, etiam inuidioſas, circumdederunt. Tantas congeſſit opes, quantas uel auidus improbe optaſſet, quantas tot annorum effuſa benignitas, ne dicam profuſio, aegre conficere potuit. Quid autem dico, congeſſit? Spectauit tantum, non poſſedit, cum eadem laude, qua parauerat, in urbis ſplendorem, in uoluptates honeſtas, in amicorum ſubſidium profunderentur. Profecto, ſi rex ille natus eſſet, ſicuti regium animum illi natura indulſerat, breui regias opes abſumſiſſet, non quidem inſano luxu, ſed erudita liberalitate.* Scilicet damno non ceſſit PVTEO elegantia, nec cedet cuipiam. Non enim adeo ſum moroſus, ut ELEGANTIAM contendam plane reſpuere mercedem, ſiquidem paucos aeuum ferat MENAGIOS,[o] quibus operam uocemque clientulis commodare integrum ſit, CITRA HONORARII RESPECTVM. Illud tamen auſim praeſtare, indignum eſſe homine ingenuo, ſolum inhiare

n) OCTAVIVS FERRARIVS *loc. cit. pag. 194.*

o) Elegantiſſime, uti omnia, de ſe ſcribit AEGIDIVS MENAGIVS in *Epiſt. ad* LVDOV. NVBLAEVM, *Amoenitatibus praemiſſa, in fine: Aduocatum me fuiſſe, non ſolum fateor, ſed etiam glorior. Tamen, uere ut dicam, nunquam in foro uerſatus ſum eo conſilio, totam ut aetatem ibi conſumerem, ſed ſolum, ut ad magiſtratus, ad quos deſtinabar, inſtructior peruenirem. Vereor, ne arrogantius a me dictum uideatur. Dicam tamen.* A NEMINE VNQVAM HONORARIVM ACCEPI, *ut, ſi non magna cum eloquentiae laude, certe maxima cum dignitate, cauſas me egiſſe, etiam illi ipſi mei obtrectatores agnoſcere neceſſe habeant.*

p) Vid. B. IO. FRID. WERNHERI *Diſſert. de Temperamentis ICtorum.*

q) Conf. Ill. AVGVSTINI A LEYSER *Tract. de Variationibus et retractationibus ICtorum, §. 5.*

r) Haec doctrina aliquando ruborem ima cute elicuit HVGONI DONELLO. Hunc iam coaeui ELEGANTIVM in numero habebant. Praeſertim Magnus ille, et literarum amore, et ingeniorum cultu, adhuc poſt fata illuſtris, Franciae Cancellarius, MICHAEL HOSPITALIVS, teſte DVARENO in *Orat. de laudibus Donelli*, Opuſculis DONELLI poſthumis, SCIPIONE GENTILI editore, adiecta, *pag. 437.* ELEGANTIAM eius admiratus erat, eoque minus ferre poterat, eum ARROGANTIAE ſuſpe-

hiare lucro, uoce ſpirituque captare nummos, in quaeſtu unice habere linguam, nihil dare INGENIO, nihil LAVDI et GLORIAE.

X V I

NVNC CAPVT attingo, quod forſitan praetermitterem, niſi in caſtra noſtra irrepſiſſet doctrina de TEMPERAMENTIS.[p] Quaeri nempe coepit, utrum praeſtet, Iureconſultum eſſe ſanguineum, aut melancholicum, an uero cholericum, aut fortaſſe phlegmaticum. Hanc litem, ſi placeat, alii dirimant. Aliam fingo litem. Quaero nimirum, quodnam TEMPERAMENTVM ceteris ſit CAPACIVS ELEGANTIAE? An CHOLERICVM? At audio, cholericos pronos eſſe ad ambitionem et arrogantiam. Vtrumque uero uitium ILLIBERALIS INGENII eſt indicium,[q] tantoque magis ab ELEGANTIORIS IVRECONSVLTI INGENIO exulare debet,[r] quanto illud uehementius pugnat cum modeſtiae[s] et ſolidae[t] erudi-

crum fieri. Elegantiſſima extat HOSPITALII Epiſtola, eam ob rem ad DONELLVM perſcripta. Mire illa facit ad illuſtrandum hoc, quod tracto, argumentum; hinc eam adſcripſiſſe non piget. Scribit HOSPITALIVS: *Illud uero perridiculum, quod ſcire uis, priusquam Balduino ſuccedatur, quo te loco habeam. Hoc, quaeſo, cuiuſmodi ſit, Donelle, conſidera: ſimul illud cogita, quid tibi quantumque arroges, quantum principi, quantum mihi, detrahas. Tu uidelicet rogandus es, alium ut liceat Balduino ſurrogare? Quid? niſi conſenſu tuo, nulli erit ad iſtum locum aditus? Nam, cur hanc tuam cauſam eſſe dicas, non intelligo, nec enim ille accerſitur, tu ut eiiciare, neque in contentionem honoris ille tecum aut dignitatis uocatur. Si metuis, ignotum hominem amico ueteri ne praeferam, iniquus aeſtimator es fidei conſtantiaeque meae, quam te aliquot iam annis expertum eſſe dicis. Sin aliud nihil agitur, quam ut ſalarium augeatur, ignorare non debes, peti ſolere id, non exigi. Sed quoquo modo ſe res habeat, eadem ſemper in te mea uoluntas erit, quae fuit, quoad pudorem et modeſtiam retinebis, cuius tibi ducem et magiſtrum uelim adhibeas Duarenum. Nulla, mihi crede, uirtus elucet in adoleſcente magis, quam* MODESTIA, *nullum contra uitium turpius aut odioſius, quam* ARROGANTIA, *quam uitabis, ſi me audies.* Vid. Illuſtris BVDERI *Vitas ICtorum pag. 82.* Epiſtola extat in *Opuſculis* DONELLI *poſthumis pag. 269.*

eruditionis laude. An temperamento PHLEGMATICO primas dabimus? Praecipuas phlegmaticorum dotes, perhibent, eſſe ſomnolentiam et oſcitantiam. Vtramque uero dotem plane crederem inimicam eſſe alacri, SVBTILI, et AMOENO, INGENIO, quippe quo praeſertim conſtat LAVS ELEGANTIAE. An MELANCHOLICO? Melancholicis familiares eſſe memorantur ſuperſtitio, aſſentatio, auaritia, et quae ſunt reliqua illiberalis ingenii argumenta. His uero ſordibus caret ELEGANTIOR IVRECONSVLTVS. Siccine in iſthoc certamine uincet temperamentum SANGVINEVM? Nati ad iocos et AMOENITATES creduntur ſanguinei, proximeque uidentur accedere ad AMOENIORIS INGENII LAVDEM. At mulieribus foede obſequuntur. Hoc nempe uitio turpius non eſt, quo ICtum arguas,[u] inprimis ELEGANTIOREM, qui turpe quoduis fugit obſequium.[w] Quid tandem? Scilicet adeo fallax eſt iſta de temperamentis doctrina, ut certi quid definiri nequeat, maxime, cum ARISTOTELES[x] fidem faciat, homines MAGNO quondam INGENIO praeditos, MELANCHOLICOS fuiſſe. Quidni igitur, uel melancholicos, nec ceteri enim excludendi uidentur, ELEGANTIAE CAPACES eſſe contendamus?

XVII

s) MODESTIAM inter primarias ICti uirtutes cenſeri, dixi *ſupra §. VI. pag. 18.*

t) Scite ait IOSEPH. AVREL. DE IANVARIO *de Rep. ICtor. pag. 51: Laborant priori labe, qui* AMBITIOSE *magis, quam* SOLIDE, *verſantur.*

u) Illuſtris AVGVSTIN. A LEYSER *de Aſſentationibus ICtorum Cap. IV. §. 6.*

w) Dixi *ſupra §. VII. pag. 19.*

XVII

IAM, VELVT ex diuerticulo, redeo ad ingenioſiſſimum illud ueterum commentum, unde exorſa eſt oratio. Quid nimirum eſt, quod uni arti DVAS PRAESIDES, Deas quidem, at moribus ingenioque ſibi plane diſſimiles, proſpexit antiquitas? Quid ſi dicerem, hoc ſchemate ſignificari, utrique quidem Iuriſprudentiae ineſſe DIVINITATEM ſuam,[y] alteram tamen alteri, DIVINITATIS et PERFECTIONIS GRADV, antecellere. Certe enim, quo gradu ELEGANTIOREM Iuriſprudentiam MASCVLA perfectiorem eſſe dixi, eodem ueteres THEMIDEM finxerunt ASTRAEA potiorem diuinioremque. Imo, ut plane rem eloquar, integra utriuſque Deae fabula utriuſque iuriſprudentiae indoli perfecte congruit, adeo, ut non inepte quis credat, ueteres VTRAMQVE IVRISPRVDENTIAM, ut DEAS, coluiſſe, et alteri ASTRAEAE, alteri THEMIDIS, nomen indidiſſe. Quid enim MASCVLAE IVRISPRVDENTIAE effigiem perfectius exprimit, quam diuinae illius uirginis,[z] ASTRAEAE, imago? TRISTEM pinxerunt ueteres, contracta fronte, adſpectu contento et toruo, NIHIL DANTEM BLANDITIIS VEL ADVLATIONI, ab omni ORNATV

G CVLTV-

x) ARISTOTELES *Problem. Sect. 30. Qu. 1.*

y) In rem meam facit carmen illud aureum: *Iuriſprudentia eſt* RERVM DIVINARVM *notitia, cetera.*

z) VIRGINEM uocat ARATVS in *Phaenom. n. 98.* et GELLIVS *Lib. XIV. cap. 4.*

CVLTVQVE AMOENIORI ALIENISSIMAM.[a] Crederetis, his ipſis uerbis MASCVLAM me deſcripſiſſe IVRISPRVDENTIAM. Haec enim uix alia re ab elegantiori diſcernitur, quam quod ſit ſeuerior diſciplina, quae gratiis non litet, quae cultu amoeniori ornatuque omni careat, quae NIHIL DELECTANDI STVDIO TRIBVAT. Multo AMOENIOR eſt, tantoque magis ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE indoli reſpondet, THEMIDIS fabula. Attendite ergo, quorſum, mentiendi dulcedine, prouecta ſit ueterum Poëtarum licentia.

XVIII

IN EO conſpirant omnes, AMOENIORI, et prorſus incomparabili, FORMA THEMIDEM eſſe conſpicuam,[b] et, qui ἀγλαόμορφον eam dixit,[c] hac uoce nobis fidem facere uoluit, SPLENDOREM quendam NITOREMQVE ore eius ac oculis emicare. Noſtis uero, quam blanda et amabili forma ſplendeat ELEGANTIOR IVRISPRVDENTIA, quam ſpiret ubique AMOENITATES et DELICIAS, quamque tota in eo ſit, ut cultu ſuo ornatuque DELECTET. Non defuit, qui THEMIDEM dixit[d] DEAM MVLTI-

FOR-

a) Sic deſcribit eam GELLIVS *loc. cit.*

b) ORPHEVS *Hymn. in Themid.* eam uocat Καλυκώπιδα κούρην, *puellam, roſeam faciem habentem.* HOMERVS *Iliad. O. u.* 87. καλλιπάρῃον, *pulcras genas habentem.* Et HESIODVS *Theogon. u.* 901. λιπαρήν, *ſplendidam.*

FORMEM, quae VARIAS induere nouerit FORMAS. Hoc uero ELEGANTIORI IVRISPRVDENTIAE mire reſpondet. Dixi enim, dotem Iureconſulti elegantioris primariam eſſe, quod VARIETATE DELECTET, et nunc legum interpretem, nunc philoſophum, nunc inuentorem, nunc oratorem, nunc hiſtoricum, nunc aliam perſonam, agat, PROVT INGENIVM SVGGERAT DELECTANDI ARGVMENTVM. Eodem igitur ſenſu, quo THEMIDEM quondam dixerunt, ELEGANTIOREM IVRISPRVDENTIAM non abſurde quis dixerit MVLTIFORMEM, et VARIA SPECIE notabilem. Porro, quid eſt, quod ueteres THEMIDEM ſtatua terminali, id eſt, capite tantum, ſine manibus, ſine pedibus, expreſſerint? ut nempe ſignificarent, Deam SOLA INGENII VI deſtinata efficere, ut nec manibus, nec pedibus, nec aliis, PRAETER INGENIVM, adminiculis, opus habeat, unde et Heroës ingenio conſpicui iſtiusmodi ſtatuis donabantur. [e] Haec uero eſt ipſa effigies IVRISPRVDENTIAE ELEGANTIORIS, quam ex SOLO INGENIO aeſtimandam eſſe, copioſe dixi. Ex dictis repeto, quod de CVIACIO memoraui, eum nimirum elegantioris iuriſprudentiae laudem inde reportaſſe, quod ei natura,

 ut

c) ORPHEVS *Hymno alleg.*

d) Vid. STEPHANVS PIGHIVS in *Themide in* IACOBI GRONOVII *Theſauro Antiqu. Graec.* *Vol. IX. pag. 1139.*

e) STEPHANVS PIGHIVS *loc. cit. pag. 1164.*

ut ait laudator,[f] PRAECELSVM ac COELESTE INGENIVM conceſſerit, cuius VNIVS ope, nec ullis praeterea magiſtris adiutus, ſupremum eruditionis gradum attigerit. Apprime uero huc pertinet, quod TVLLIVS auctor ſit, elegantiores Romanorum ICtos, INGENIO SIBI AVCTORE, dignitatem reperiſſe.[g] Iam uenio ad partem fabulae nobiliſſimam. Ipſe Iupiter, princeps Deorum, THEMIDIS amori ſuccumbit. Ambit nuptias. Ambientis uero amplexum Dea fugit, credo, ut eo uehementius petatur. Fugit, inquam, fugit ocyor ceruis et, agente nimbos, ocyor Euro. Fugientem Deus perſequitur, tandemque latentem ad Ichnas deprehendit, et deprehenſam ſtabili ſibi iungit connubio. Hoc nimirum ſchemate nihil, exiſtimarem, inueniri, ad IVRISPRVDENTIAM ELEGANTIOREM accommodatius. Fugit Deum amantem THEMIS, nec meretricio more ſe offert petenti, ſed uerecunde renuit matrimonium.[h] Idem agit ELEGANTIOR IVRISPRVDENTIA. Non ſtatim ruit in amplexum petentis. Latet, Themidis exemplo, nec ſe patitur deprehendi, niſi κατ' ἴχνας, hoc eſt, niſi ueſtigia eius, multo

f) SCAEVOLA SAMMARTHANVS in *Elogiis Gallorum Lib. IV. elog. 5. pag. m. 199.*

g) CICERO *de Orator. Lib. I. cap. 45.*

h) Caſta inde audit ORPHEO in *Hymno in Themidem.*

*) Repete, quae ſcripſi *ſupra §. III. not. y. p. 10.*

i) OVIDIVS *Metamorph. Lib. I. n. 478.*

k) OVIDIVS *Metam. Lib. I. n. 540.*

Qui tamen inſequitur, pennis adiutus amoris,
Ocyor eſt, requiemque negat, tergoque fugaci
Imminet - -
In FRONDEM *crines, in* RAMOS *brachia, creſcunt.*
HOS QVOQVE PHOEBVS AMAT, *poſitaque in ſtipite dextra,*
Sentit adhuc trepidare nouo ſub cortice pectus,
Complexusque ſuis ramos, ut membra, lacertis
OSCVLA DAT LIGNO, *refugit tamen oſcula lignum,*
Cui Deus, at CONIVX *quoniam* MEA *non potes eſſe,*
ARBOR ERIS CERTE, *dixit*, MEA.

multo labore, ſtudioque pertinaci, eruantur. Tum audio, DEVM eſſe, qui THEMIDIS amplexu fruitur. Atqui ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE LAVDEM non aſſequitur, niſi, qui, INGENII DIVINITATE, Deum aequet. Solo labore, ſola arte, res non perficitur.[*)] VI quadam DIVINA opus eſt, ſi quis Dea frui uelit. Multi uero,

Multi illam petiere, illa auerſata petentes.[i]

Multis, qui petunt, idem euenit, quod Apollini, qui Daphnen fugientem, amore correptus, celeri curſu perſequitur, eiuſdemque amplexu nunc potiturus, TRVNCVM PRO VIRGINE amplectitur.[k] Scilicet maxime RARVM, iudice TVLLIO,[l] illud genus eſt eorum, qui excellente INGENII MAGNITVDINE ſunt ornati. RARI ſunt, quod SENECA[m] indolet, qui INGENIVM EXERCENT et COLVNT. Vix igitur mirum, quod PLATO[n] definiat, admodum RAROS eſſe,[o] qui AD ELEGANTIAM adſcendere ualeant. PAVCIS CONTINGIT ADIRE CORINTHVM.[p]

l) CICERO *de Officiis Lib I. cap. 33.*

m) SENECA *Epiſt. LXXX.*

n) PLATO *Dial. V. de Republ. circa fin. p. m. 267.*

o) Scilicet eminere in re excellente ſummus perfectionis gradus eſt, tantoque magis, qui ita eminet, INTER RAROS numerandus eſt Hoc argumentum tractat BALTHASAR GRACIAN *dans l' homme de conr, Max. 61.* uerbis: *Exceller dans l' excellent, c' eſt une grande ſingularité* PARMI LA PLURALITÉ DES PERFECTIONS. *La mediocrité n' eſt pas un objet aſſez grand pour l' applaudiſſement. L' eminence* DISTINGUE DU VULGAIRE *et éleve* A LA CATEGORIE D' HOMME RARE. ICtus igitur elegantior, quanto magis ceteris, alioquin perfectis, antecellit, tanto certius cenſendus eſt inter raros.

p) Caue, ne ſenſu uulgari Horatianum illud ac-

XIX

Pergit fabula, Themidem tres filias florentiſſimas, quas a pulcritudine, ab ornatu, ab amoenitate, et flore, Graeci horas[q] uocant, procreaſſe.[r]) Has alius, pictis ueſtibus incinctas, comites Florae facit;[r] alius uernas uocat, floribus abundantes, omnis coloris, multi odoris, in florentibus herbis uerſantes, ſemper uirentes, ſuaues facies habentes, ueſtes roſcidas induentes, floribus delectabiles.[s] Habetis perfectiſſimum iurisprudentiae elegantioris ſymbolum. Quos enim haec partus edit, non alio conuenientius, quam horarum, nomine quis inſigniret. Nihil enim progignit, niſi, quod amoene rideat, quod, ad nobiliſſimae picturae ſpeciem, delectet, quod flore ſuo ornatuque ſit commendabile. Vbi uero nomina iſtarum puellarum audiueritis, profecto credetis, me non horas deſcribere, ſed ipſas elegantioris iurisprudentiae partes uidebor recenſuiſſe. Eunomia audit natu maxima, altera dice, irene tertia. Eunomia denotat bonam legum diſpoſitionem.

cipias. Aliud quid hic uellem latuiſſe. Nimirum corinthus, quod pindarus *Olymp. XIII. n. 4.* fingit, horarum, de quibus *§. ſeqq.* dicetur, domicilium fuit, et ueluti ſedes regia. Cum horis uero commercium non eſt, nec adeo corinthus patet, niſi ingeniis elegantioribus. Certe, ſi in uerbis ludere uellem, non inepte formam dicere poſſem, Tarquinium Regem, bono omine, oriundum corintho fuiſſe. Ille enim ob ingenii elegantiam regnum accepiſſe fertur a floro. Vid. quae dixi *ſupra §. II. pag. 5.*

q) Ὥρα enim ipſam elegantiam denotat, unde ὡραΐζειν idem eſt ac ornape.

tionem. DICE iuſtitiam, ſiue habitum conſeruandi legum robur et auctoritatem. IRENE pacem, concordiam, atque, ut PIGHII[t] uerbis utar, dilectionem, a ratione PVLCRI prouenientem, rebuſque perfectionem atque ORNAMENTVM adiicientem, ſiquidem mentem, uiſum, auditum, alliciat PVLCRITVDO, cui ſemper adſunt amor, pax et concordia. Imo HESIODVS[u] amabilem hanc puellam uocat τεθαλυῖαν, FLORENTEM, quia, iudice HOMBERGK ZU VACH,[w] uitam, incrementum, PVLCRITVDINEM et ORNATVM, cunctis rebus tribuit, FRVCTVSQVE PVLCHERRIMOS producit, amorem et concordiam. Atqui IVRECONSVLTVM ELEGANTIOREM non alia res magis commendabilem reddit, quam EVNOMIA, DICE et IRENE. Legum enim ſcientia eſt inſtructus. Iuſtitiam tuetur; qua utraque laude aeque fruitur, qui MASCVLAM IVRISPRVDENTIAM profitetur. At in ELEGANTIORI tertia uirtus eſt conſpicua, ea ſcilicet, quae rebus omnibus, ut IRENE, PERFECTIONEM et ORNAMENTVM adiicit, uitamque et incrementum tribuit, quae mentem, uiſum et audi-

q) Hae tres puellae ſtatuam matris terminalem circumſtant in ſigno, quod, aeri inciſum, exhibet STEPHANVS PIGHIVS in *Themide in* IACOBI GRONOVII *Theſ. Antiqu. Graec. Vol. IX. pag.* 1145.

r) OVIDIVS *Faſtor. Lib. V. u.* 217.

s) Sic HORAS laudat ORPHEVS *Hymn. in Horas.*

t) STEPHANVS PIGHIVS *loco cit. pag.* 1170.

u) HESIODVS *Theogon. u.* 902.

w) IO. FRID. HOMBERGK ZV VACH *in Themide pag.* 122.

auditum ALLICIT, quae FRVCTVS PVLCHERRIMOS producit, tranquillitatem,[x] amorem, et dilectionem. Vti enim in pretio habetur, ſuique in cultum et admirationem omnes rapit, quiſquis INGENIO EXCELLAT;[y] ita in IVRECONSVLTVM ELEGANTIOREM praeſertim hic fructus redundat, ut neminem non, principes etiam uiros, ob ipſam ELEGANTIAM, in ſtuporem, in admirationem amoremque, trahat. Si quis poſcat rerum argumenta, dabo. PAPINIANVS, ICtus, fuit in amore Caracallae et Getae, Imperatorum, gratus uiris Palatinis, adamatus iudicibus. At, quae cauſa? INGENII ELEGANTIA.[z] HVGONEM DONELLVM, ICtum, amabat Galliae Cancellarius, MICHAEL HOSPITALIVS. At, cur tandem? ob ELEGANTIAM.[a] Hos igitur fructus cum ferat ELEGANTIA, an ELEGANTIOREM IVRISPRVDENTIAM conuenientius appellarem, quam τεθαλυῖαν, FLORENTEM?[b] At FLORIDAM iam dixi antea.[c]

XX

x) TRANQVILLITATEM eſſe fructum ELEGANTIAE, dixi *ſupra* §. *VII. pag.* 19.

y) Hoc argumentum nemo elegantius ediſſeruit, quam BALTHASAR GRACIAN *dans l'homme de cour, Max.* 42. uerbis: L'ASCENDANT *eſt une certaine* FORCE SECRETTE DE SUPERIORITE', *qui vient du naturel, et non de l'artifice, ni de l'afectation. Un chacun s'y ſoûmet, ſans ſçavoir comment. Ces genies dominans ſont* ROIS PAR MERITE, *et* LIONS PAR UN PRIVILEGE, *qui eſt né avec eux. Ils* S'EMPARENT DU COEUR *et de la langue des autres, par un je ne ſçai quoi, qui les fait* RESPECTER. *Tout leur obeit, parceque ils excellent en tout. Ils ſe rendent d'abord les maitres des autres, en leur derobent le coeur.* Et IDEM ait *dans la Maxime* 61. *L'eminence en des choſes hautes eſt comme un caractére de* SOUVERAINETE', *qui* EXCITE L'ADMIRATION *et* CONCILIE LA BIENVEILLANCE. Certe non inania docet GRACIANVS, nec ego doceo. Audias, quem elegantiſſimus apud Gallos Iureconſultus, JAQUES DE TOURREIL, elegantiae ſuae fructum reportauerit. Scilicet hoc elogio eum ornat ACADEMIA REGIA PARISINA: IL PENSOIT *et aimoit a ſ'exprimer* D'UNE FAÇON PEU COMMUNE: *Il eſtoit bien verſé ment en ce genre, il amenoit ſi finement une penſée, il*

X X

Nondvm dimitto fabulam. Id enim uidetur memoratu dignum, quod themis gaudeat qvatvor symbolis, origano, pectine, enſe, et lucerna,[d] hisque ſymbolis Deae uirtutes denotari credantur. Origano, herba, quae montibus et alto gaudet, ſignificari uolunt themidis mentem elevatam, quae non, niſi res divinas, tractet, Deorumque praeſertim conſortio delectetur. Ensem Themidi dederunt, quod iuſtitiam amet et tueatur. Pectinem, fortaſſe, quod amet munditiem. Lvcernam, quod ingenii vi illuſtret obſcura, et tenebras diſpellat. Elegantior uero ivreconsvltvs uirtutem origani imitatur, altoque gaudet. Magis enim rebvs divinis, hoc eſt, interioribus illis et reconditis literis, quam rebvs hvmanis, hoc eſt, uulgaribus, delectatur, eoque nititur, ut aliquem divinitatis gradum attingat ingenio. Ingenio ſcilicet diis aeqvari

poſſe

ſauroit ſi adroitement une expreſſion, qu' il venoit enfin à bout de faire paſſer avec grace les idées les plus ſingulieres, et les plus hardies metaphores. Les ſaillies, la promtitude, et la force de ſes reparties, ne lui donnoient pas ſeulement qvelqve svperiorite', *elles alloient juſqu' a le* rendre redoutable *dans la converſation.* Vid. *les Memoires de* l'academie royale des inscriptions et belles lettres *Tom. III. pag. XXXII.*

z) Diſerte io. petr. de lvdewig hanc apud Principes fortunam tribuit elegantiae papinianeae, in *Vita Iuſtiniani cap. VIII. pag. 206. in textu et in nota 269.*

a) Teſtis eſt franciscvs dvarenvs in *Orat de laudibus Donelli*, quae adiecta eſt donelli *Opuſculis poſthumis* a scipione gentili editis.

b) Scilicet scholiastes ad hesiodi *Theogon. u. 209.* rationem redditurus, cur τεθαλυῖαν audiat Irene, ait: πάντα γὰρ ἐν εἰρήνῃ θάλλει. Hoc ipſum uero in rem meam uerto, et ita finio: in ivrisprvdentia elegantiori florent omnia.

c) *Supra §. XIII. in not. q. pag. 36.*

d) Hoc ueterum figmentum attingunt clemens alexandrinvs in *Protrept. ad Gen.*

poſſe hominem, communis erat ueterum ſententia. Hinc Heroas ſuos, in quacunque tandem re excellerent, modo INGENIO eſſent conſpicui, θεοεικέλους, θεοειδεῖς, appellabant,[e] et, quod maxime huc pertinet, TVLLIVS[f] Iuris antiſtitem, INGENII PRAESIDIO inſtructum, DEVM PVTARI, diſertis pronunciat uerbis. Quid alterum Themidis ſymbolum, ENSIS, huc faciat, uix attinet dicere. Iuſtitiae enim cultum denotat. Hunc uero tum MASCVLA, tum ELEGANTIOR, Iuriſprudentia intendit. Tertium uero ſymbolum, PECTEN, elegantiori maxime conuenit. Tota enim in eo eſt, ut CVLTA et ORNATIOR incedat, ſuaque munditie et nitore PLACEAT. Denique cum ELEGANTIOR IVRECONSVLTVS id inprimis agitet, ut arti, per ſe ſeuerae et paululum triſti, undecunque fieri poſſit, lucem affundat, eandemque GRATIOREM AMOENIOREMQVE efficiat, non abſonum uidebitur, ſi, quartum etiam ſymbolum, LVCERNAM, IVRISPRVDENTIAE ELEGANTIORI reſpondere, dixero. Nec alienum eſſe ab hoc argumento uidetur, quod ueteres THEMIDEM finxerint propinaſſe Apollini, manibus ſuis, Nectar et Ambroſiam.[g] In eo enim occupatur ELEGANTIOR IVRISPRVDENTIA, ut ſui cultoribus fundat DELI-

CIAS,

tes, fere init et EVSEBIVS *Praeparat. Euang. Lib. II. cap.* 3.

e) STEPHANVS PIGHIVS in *Themide in* IACOBI GRONOVII *Theſaur. Antiqu. Graec. Vol. IX. pag.* 1164.

f) CICERO *de Orator. Lib. I. Cap.* 46.

g) Rem narrat HOMERVS in *Hymno in Apoll. n.* 123.

CIAS, Nectare et Ambroſia tantum non dulciores. Deinde huc ſpectat, quod THEMIS audiat FATIDICA,[h] quod ORACVLA et myſteria fundere credatur,[i] quod per Themidis ſinus lumen, e tripode Delphico, quod prae ſplendore conſpici haud poſſit, in Parnaſſum eniti,[k] antiquitas fabuletur. Nempe ELEGANTIOR IVRECONSVLTVS, uti INGENIO Themidem aequat, ita, quicquid pronunciet, eo effert rerum pondere, ea uerborum maieſtate, ut non ſteriles uerborum ſonos, ſed ORACVLA, an dicam MYSTERIA, fundere, adeoque *θεμιςέυειν*, credatur. Accommodatiſſimum huic rei eſt, quod TVLLIVS[l] domum ICti, qui, ob INGENII praeſtantiam, DEVS putetur, qui INGENII PRAESIDIO, quemcunque in hominum animis motum res et cauſa poſtulet, eum dicendo uel excitare poſſit, uel ſedare, ORACVLVM CIVITATIS eſſe, contendat. Imo quoque appoſite GRAVINA[m] in Iureconſultis Romanis, quos florentiſſima illa aetas tulit, praeter maieſtatem, ſplendorem et elegantiam, laudat ORACVLORVM SANCTIMONIAM. Tandem LONGAEVAM uocant THEMIDEM,[n] et recte. Mortalitatis enim labe caret, quae DEA eſt. At INGENIO DEVS eſt IVRECONSVLTVS ELEGANTIOR. Quidni

 igitur

h) OVIDIVS *Metamorph. Lib. I. u. 320.*

i) ORPHEVS in *Hymno in Themidem.*

k) PLVTARCHVS in *Comm. de his, qui ſero a numine puniuntur, circa fin. pag. m. 202.*

l) CICERO *de Orator. Lib. I. cap. 45. in fine,* iunct. *cap. 46.*

m) IAN. VINCENT. GRAVINA *Orat. 2.*

n) CLAVDIANVS *de Raptu Proſerpinae Lib. I. u. 218.*

igitur audiat LONGAEVVS, ob laudem ELEGANTIAE, euntem in ſecula. Denique, ubi nominis, quo DEA gaudet, uim et uirtutem expendo, id etiam in rem meam facere intelligo. Scilicet uocem: ΘΕΜΙΣ, origine Phoeniciam eſſe, et INTEGRITATEM ſonare, CLERICVS[o] autor eſt. Ipſum uero ELEGANTIORIS IVRECONSVLTI nomen hominem ſonat, uitae animique INTEGRITATE commendabilem, quandoquidem, ex TVLLII[p] mente, ſororiant INTEGRITAS et ELEGANTIA.

XXI

RELIQVAM FABVLAE partem tanto lubentius praetermitto, quanto luculentius iam ex his, quae ediſſerui, perſpicitur, quarum inprimis uirtutum commendatione ad ELEGANTISSIMAE DEAE ſimilitudinem accedat ELEGANTIOR IVRISPRVDENTIA. Dum uero uirtutes iſtas expoſui, dici uix poteſt, qua mentis agitatione rem egerim, imo etiam nunc agam. Vtique enim uereor, ne Vos ab homine, qui de elegantia, de ingenii amoenitate, de doctrinae uarietate et nouitate, de uario delectandi argumento, audacter diſſerit, iure quodam Veſtro deſideretis, ut ipſe quidpiam elegans promat,

o) IOANNES CLERICVS in *nota ad* HESIODI *Theogon. uerſ. 901. pag. 126. Edit. Clerici.*

p) CICERO *pro Sulla, cap. 28.*

q) CICERO in *Bruto cap. 39.* ibi: *tam uerbis erat ad rem* CVM SVMMA BREVITATE *mirabiliter aptus.*

r) IAN. VINC. GRAVINA *Orat. 2.* Hunc GRAVINAE locum ſupra adſcripſi in *§. IX. pag. 24.*

Digitized by Google

promat, quod uel nouitate ſua, uel amoenitate, animos Veſtros delectet. Hoc uereor, inquam, nec tamen uideo, me quicquam hactenus dixiſſe, quod ulla ſui parte amoenitatem quandam, uel elegantiam, ſpiret. Haec cura animum ſolicitat. Sed nunc tandem inuenio, quo Vobis placere, quo delectare, poſſim. Audio nimirum inter ELEGANTIAE criteria haberi a multis BREVITATEM IN DICENDO. Hanc certe in elegantiſſimo SCAEVOLA commendat TVLLIVS,[q] in reliquis ueterum, et elegantioribus quidem, ICtis, laudat GRAVINA,[r] in elegantiſſimo CVIACIO IANVARIVS,[s] ut alios tranſeam, mira BREVITATE, in dicendo ſcribendoque, memorabiles. BREVITATE igitur, cum nec ingenio, nec alia re, poſſim, Vos delectabo.[t] Hac ſola ſcilicet uirtute ad quandam elegantiae laudem graſſabor, eademque a nemine, elegantiſſimo alioquin, me uinci patiar. Vt intelligatis, me ſerio rem agere, ne uerbulum quidem, in ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE FINIBVS dimetiendis, amplius conſumam. Alius iam mihi aperitur, at multo difficilioris menſurae, campus. Obuerſatur enim animo nuperum, quo DEI IMMORTALIS, et CLEMENTISSIMI REGIS, GRATIA fruor, beneficium. Huius

s) IOSEPH. AVREL. DE IANVARIO *de Republica ICtorum, pag. 182. Edit. Mencken.*

t) Ecquid uero, inquiet Lector, ille ſibi cum ſua breuitate? An breuis eſt oratio, quae tot occupat plagulas? At meminiſſe debes, me in recitando breuem omnino fuiſſe, nunc uero maxima ſui parte auctam prodire tractationem.

nimirum magnitudinem, ſi uel omnibus neruis contenderem, digne non exprimerem. Interim tamen, ne, dum in iſta magnitudine plane defixus haeream, uotiuis et ominoſis uerbis careat orationis epilogus, id ipſum adhuc exſequor, quod huius diei celebritas ſibi uidetur expoſcere. Primum quidem SVMMO RERVM ARBITRO ſolemnia uota reddo, DIVINAMQVE PROVIDENTIAM, quam, hunc uſque in diem, uere ſingularem expertus ſum, publice praedico, mente deuotiſſima. Tum ad Solium REGIS AVGVSTISSIMI, cuius IMPERIO feudalem prouinciam capeſſo, uenerabundus prouoluor, ut et gratias, quas animus concipit, et uota, expediam. Non primum hoc eſt beneficium, quod a MVNIFICA PRINCIPIS INCOMPARABILIS MANV in me proficiſcitur. Iam tenero mihi, cum in claſſibus agerem, nihil non liberaliſſime proſpexit, quod ad liberaliorem, tum corporis, tum ingenii, cultum pertinere uideretur. Nec in ſtadio academico uerſanti defuit GRATIA REGIA. Vt enim expeditior eſſet ſtudiorum curſus, currenti LARGIORIBVS BENEFICIIS ſubuenit. Igitur non nouam OPTIMI REGIS MVNIFICENTIAM, ſed MVNIFICENTIAE REGIAE, quae dudum indulgentiſſime me fouit, NOVVM ſaltem EXEMPLVM experior, cum Profeſſoris Publici munus, et in Senatu academico locum, mihi tribuunt AVGVSTALES CODICILLI. Nunc ergo et obſequium, et cultum, et quicquid gratiſſimus animus

mus poteſt concipere, INDVLGENTISSIMO REGI defero, ardentiſſimis uotis ſuperos ſolicitaturus, ut TANTVM HEROEM, in orbis totius admirationem ſplendoremque, natum, ut SERENISSIMAM REGINAM, Patriae et Regionum Gloriam et Delicium, ut CELSISSIMVM PRINCIPEM HEREDITARIVM, et reliquam CELSISSIMAM IVVENTVTEM REGIAM, Spem Patriae, ut uniuerſam denique REGIS AVLAM, ſeruent ac protegant.

XXII

IAM VERO, cum ex REGIS SOLIO ad VOS reſpicio, PATRES CONSCRIPTI, non exiguam maximi huius beneficii partem VOBIS deberi, recordor. Etenim, ex quo AVGVSTISSIMO PRINCIPI qualiacunque mea ſtudia commendaſtis, dici uix poteſt, quam facilem inuenerim et REGIAM, et PVRPVRATORVM, GRATIAM, adeo, ut VESTRO ſuggeſtui unice tribuam, quod REGIO EPISTALMATE probatus, et hunc in locum ſuffectus, ſim, quem iam, ſolemni ritu et formula, capeſſo. Animo igitur complector, quantum VOBIS debeam, at, qua tandem re debitum exſoluere poſſim, non inuenio. Interim tamen, ut TANTO BENEFICIO aliquid rependam, AMORIS in me VESTRI memoriam, dum ſpiritus hos artus reget, nunquam ex animo ſum dimiſſurus. Vos modo, quos ab infantia PATRES ueneror, pergite,

me

me FAVORE VESTRO complecti; Ego contra in id ſedulo nitar, ne vos ullius beneficii, quo me ornauiſtis, unquam poeniteat. Tandem et VOS compello, IVVENES, et ingenio, et moribus, et doctrina, PRAESTANTISSIMI ORNATISSIMIQVE, quorum adſpectu blando iucundoque mirifice me recreari uideo. VESTRI inprimis commodi cauſa haec ſolennia aguntur. Inauguror enim, ut ex hoc ipſo die VOBIS militem, VESTRAMQVE, COMMILITONES LECTISSIMI, utilitatem, omni alia re poſthabita, publice docendo, promouere contendam. Hanc neceſſitatem cum mihi impoſitam eſſe ſentiam, uidete, quid in hac ipſa panegyri egerim. Credite, non ſine conſilio factum eſſe, quod noui muneris primordia ab ELEGANTIORIS IVRISPRVDENTIAE deſcriptione ceperim. Fidem enim facere uolui, glorioſum quidem VOBIS fore, ſi MASCVLAE, multo tamen glorioſius, ſi ELEGANTIORIS, IVRISPRVDENTIAE laudem aſſecuti fueritis. Certe ad hanc ſectandam ingenia VESTRA excitare, quoad uires permiſerint, nunquam intermittam, nec ullum laborem, qui commoda VESTRA, uel ulla ex parte, reſpiciat, defugiam. Vos modo uicem reddite, OPTIMI COMMILITONES, et me, in hoc ſtadio deſudantem, diligentia VESTRA, et, quod uehementius flagito, amore et beneuolentia VESTRA, quod adhuc quidem feciſtis, excitate. Denique ad VOS, AVDITORES, quotquot adeſtis, oratio redit. Grata mente

agnoſco

Digitized by Google

agnoſco humanitatem VESTRAM, qua me, ore rudi differentem, audiuiſtis. Nunc uideo, me nouam prouinciam, feliciſſimo omine augurioque, iniiſſe, cum honorifica VESTRA praeſentia, quam, officioſiſſima prece, flagitaui, hanc panegyrin celebriorem effeciſtis. Quanto igitur luculentius hoc VESTRVM eſt beneficium, tanto maiori ſolicitudine allaborabo, ut, VOS non apud ingratum illud collocaſſe, tandem aliquando intelligatur.

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM

L'ACADEMIE ROYALE *des Inſcriptions et Belles Lettres* 22. 26. 56. 57.
ALCIATVS *Andreas* 26.
AMELOT DE LA HOUSSAŸE *Abr. Nicol.* 11.
AMMIANVS *Marcellinus* 35. 36. 41.
APPOLLONIVS *Rhodius* 2.
ARATVS 2. 49.
ARISTOTELES 17. 49.
D' AVEZAN *Ioannes* 29.
BADEREVS *Stephanus* 31.
BALDVINVS *Franciſcus* 40. 41.
BAYLIVS *Petrus* 21. 22. 31.
BROEVS *Franciſcus* 28.
BRVNQVELLVS *Ioannes Samuel* 9.
BVDERVS *Chriſtianus Gottlieb* 9. 12. 17. 21. 29. 30. 35. 47.
VAN BYNKERSHOEK *Cornelius* 14. 27. 33. 34.
CATANAEVS *Ioannes Maria* 5.
CHLADENIVS *Ioannes Martinus* 12. 24.
CHRISTIVS *Ioannes Fridericus* 4. 18.
CICERO 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 22. 23. 25. 35. 36. 40. 41. 42. 52. 53. 58. 60.
CLAVDIANVS 59.
CLEMENS *Alexandrinus* 57.
CLERICVS *Ioannes* 60.
CLERICVS *Stephanus* ib.
CODEX IVSTINIANI 25. 41. 45.
CODEX *Theodoſianus* 25.
CONRADI *Franciſcus Carolus* 28.
CRAMERVS *Ioannes Vlricus* 8. 40.
DIGESTA 8.
DONELLVS *Hugo* 46. 47. 57.
DVARENVS *Franciſcus* 46. 57.
EVSEBIVS 58.
FABRICIVS *Ioannes* 10. 38. 41. 42.
FERRARIVS *Octauius* 9. 10. 38. 39. 41. 42. 46.
FERRETVS *Aemylius* 30.
FLORVS 5. 54.
GELLIVS 2. 3. 5. 49. 50.
GENTILIS *Scipio* 46. 57.
GOTHOFREDVS *Iacobus* 28.
GRACIAN *Balthaſar* 10. 11. 15. 16. 18. 53. 56.
GRAEVIVS *Ioannes Georgius* 22.
GRAVINA *Ianus Vincentius* 24. 25. 28. 59. 60.
GRONOVIVS *Iacobus* 3. 51. 55. 58.
HEINECCIVS *Ioannes Gottlieb* 14. 27. 33. 38.
HESIODVS 2. 50. 55. 57.
HOFFMANNVS *Ioannes Guilielmus* 31.
HOMBERGK ZU VACH *Ioannes Fridericus* 3. 8. 55
HOMERVS 2. 50. 58.

HVBERVS

HVBERVS *Vlricus* 12. 29. 35.
DE IANVARIO *Iofephus Aurelius* 21. 27. 36. 42. 44. 48. 61.
IENICHEN *Gottlob Auguſtus* 8. 14. 25.
ISOCRATES 12.
LANCELOTVS *Antonius* 26.
LEIBNITIVS *Godofredus Guilielmus* 24.
LEIKHERVS *Fridericus Iacobus* 28.
LEROY uid. REGIVS.
A LEYSER *Auguſtinus* 19. 20. 46. 48.
DE LVDEWIG *Ioannes Petrus* 24. 25. 57.
MAIANSIVS *Gregorius* 8. 14.
MARTIALIS 4. 5.
MARTINVS *Emanuel* 8. 14.
MASCOVIVS *Godofredus* 18.
MATTHAEVS *Antonius* 18.
MEDONIVS *Bernardus* 21. 22.
MEMOIRES *de l' Academie Royale des Inſcriptions et Belles Lettres* 22. 26. 57.
MEMOIRES *pour ſervir à l' Hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republique des Lettres* 28. 29. 30. 31.
MENAGIVS *Aegidius* 31. 32. 46.
MENCKENIVS *Ioannes Burcardus* 16.
MENCKENIVS *Otto Fridericus* 27. 36. 42. 44. 61.
MVRETVS *Antonius* 36.
ORPHEVS 2. 50. 51. 52. 55. 59.
OTTO *Euerardus* 15. 29. 37.
OVIDIVS 52. 55. 59.
PANDECTAE 8.
PANZIROLVS *Guido* 27.
PHAEDRVS 17.
PHILELPHVS *Franciſcus* 26.
PIGHIVS *Stephanus* 3. 51. 55. 58.
PINDARVS 54.
PLATO 10. 13. 17. 18. 45. 53.
PLAVTVS 5.
PLINIVS *ſenior* 12.
PLINIVS *iunior* 5.
PROMACHVS *Petrus* 31.
QVINTILIANVS 17.
REGIVS *Ludouicus* 21.
RIBITTVS *Helenus* 17. 30.
RITTERSHVSIVS *Conradus* 28.
RONDELINVS *Iulius* 30. 34.
SAMMARTHANVS *Scaeuola* 21. 28. 52.
SCALIGER *Ioſephus* 29.
SCALIGER *Iulius Caeſar* 13. 14. 15. 16. 37.
SCHEIDIVS *Chriſtophorus Ludouicus* 11. 18. 19.
SCHOLIASTES *Arati* 2.
SCHOLIASTES *Heſiodi* 57.
SENECA 6. 37. 40. 53.
SIGONIVS *Carolus* 27.
LE SPECTATEUR 4. 13. 18.
THOMASIVS *Chriſtianus* 27.
VALESIVS *Hadrianus* 36.
VALLA *Laurentius* 12. 24. 39.
WERNHERVS *Ioannes Fridericus* 46.
WOLFFIVS *Ioannes Burcardus* 8.

INDEX RERVM

ACADEMIA INSCRIPTIONVM PARISIENSIS laudatur 26
ACCVRSIVS uituperatur a multis ib.
- - - - defenditur 27
Acre differt ab acuto 15
Acutum differt ab acri ib.
Aduocati munus laudatur 41
Aduocatus an inter ICtos elegantes ib.
AELIVS a PHILELPHO laudatur 26
Ἀγλαόμορφος THEMIS audit 50
Αἱμύλος FERRETVS dicitur 31
ALCIATVS ICtus elegans 29. 30
Allegatio ſcriptorum uel legum ſaepe taedioſa 20
Ambitio exulat a ICto elegantiori 47
Amoena placent 12
- - ſectatur ICtus elegantior 10. 11. 16. 29. 58
Amoeni ingenii priuilegium 18
Amoenum MENAGII ingenium 31. 32
Amoeniora ſtudia an faciant elegantiam 9
Amoenitas ingenii 10. 11
- - - ſcriptorum CVIACII 29
- - - - - - - - ALCIATI 29. 30
- - - FERRETI 30. 31
- - -. BYNKERSHOEKII 32
APOLLO truncum pro uirgine amplectitur 53
Arrogantia exulat a ICto elegantiori 47
- - - DONELLI reprehenditur ab HOSPITALIO 47
Artes meritoriae 40
- quaeſtuariae ib.
- quaeſtuoſae 41
L'Aſcendant in ICto elegantiori 10
Aſſentatio exulat a ICto elegantiori 18. 48
ASTRAEA, uirgo moroſa 1. 2. 49
- - - - ſymbolum Iuriſprud. maſculae 3. 49
AZO uituperatur a multis 26
- defenditur 27
- lumen ingenii dicitur ib.
AZONIS auditorum numerus ad 10000 excurrit ib.
BARTOLVS uituperatur 26
- - - - defenditur 27
Bel Eſprit in ICto elegantiori 13. 14
Bellus homo 4
- ICtus ib.
Bonus uir, laus ICti elegantis 17. 18
Breuitas, elegantiae argumentum 61
- - laudatur in SCAEVOLA ib.
- - - - - - - - CVIACIO ib.
BRVTVS a PHILELPHO laudatur 26
BVDAEI elegantia 21
BVDAEVS, ſponſus inofficioſus 22
BYNKERSHOEKII elegantia 32
CAECILIVS a PHILELPHO laudatur 26
CATO, ICtus non elegans 10. 35
Cauillationes exulant a ICto elegantiori 19

Chole-

Digitized by Google

Cholericus an capax elegantiae 47
Coeca iuriſprudentia 39
Conuicia exulant ab ingenio elegantiori 19
Conuicia hoſtium elegantioris Iuriſprudentiae 39
CORINTHVS, domicilium HORARVM 54
CVIACIVS, ICtus elegantior 21. 28. 57
- - - - Aduocatus elegantior 42
- - - - ob breuitatem in dicendo laudatur 61
Decor ICtorum Romanorum 24
Delectat ICtus elegantior 13. 17. 34. 51. 58
Delectatio exulat a maſcula iuriſprudentia 34
- - - ex ſcriptis CVIACII 29
- - - - - - - - ALCIATI 30
Deus putatur ICtus elegantior 58. 59
DICE, filia THEMIDIS 54. 55
Digeſta ad mathematicorum laudem accedunt 24
Digeſtorum elegantia ib.
Diis aequamur ingenio 57
- ſimiles habebantur quondam Heroës 58
Diuinis rebus delectatur ICtus elegantior 57
Diuinitas ingenii 11
DONELLI elegantia 46
- - - arrogantia reprehenditur ab HOSPITALIO ib.
DONELLVS ob elegantiam amatur ab HOSPITALIO 56
Dulci utile miſcet elegantior ICtus 16
Elegans quis dicatur 6. 15
- - nihil eſt, niſi utile 16
Elegantia, uox media 3. 4
Elegantia, uox contumelioſa 4
- - - pro laude ingenii 5
- - - TARQVINIVM fecit Regem ib.
- - - ICtorum Romanorum 24
- - - in aduocato 41. 42
- - - an opes ſecum ferat 45
Elegantiae Etymon 15
- - - fructus 55. 56
- - - gradus 12
Elegantior ICtus quis 6. 7. 11. 15. 16. 17. ſeq.
- - - - - naſcitur, non ſit 10
Elegantior Iuriſprudentia quae 33. ſeq.
Elegantioris Iuriſprudentiae ſymbolum THEMIS 3. 49. ſeq.
- - - - - - - - faſtidium 37
Elegantiora ſtudia an faciant elegantiam in ICto 9
- - - - - eorum odium 38
Eloquentia, argumentum elegantiae 11. 14
Enſis, ſymbolum THEMIDIS 57
EVNOMIA, filia THEMIDIS 54. 55
Fatidica dicitur THEMIS 59
FERRETVS, elegantior ICtus 30. 31
Figuris capitur animus 15
Florem orationis non ſequuntur Stoici 23
Florens Iuriſprudentia 37. 56
Florida Iuriſprudentia ib.
Floridum in Eloquentia 37
Fori ſplendor ab elegantia oratorum 41
Galant homme audit bellus 4
Γλαφυρότης eſt elegantia 13
Gradus elegantiae 12

Graecorum laus, ingenium 6
Grand genie 13
Gratiis litat ICtus elegantior 21
Heroës quondam Diis comparati 48
Homme de belle humeur, laus ICti elegantis 19
Homme de bon choix, laus ICti elegantis 15
Homme de bonne invention, laus ICti elegantis 16
Honnête homme, laus ICti perfecti 18
HORAE, filiae THEMIDIS 54
Humaniſtae, per ironiam 38
L'Humeur agreable, in ICto elegantiori 18
L'Humeur Ioniale, in ICto elegantiori 13
IANVARIVS, elegantior aduocatus 44
Illiberalis Iuriſprudentia, quae 39. 40
Ingenii amoenitas 10
- - lumen AZO dictus 27
Ingenio Diis aequamur 57
Ingenium graecum 6
- - - PAPINIANI laudatur 24
- - - CVIACII 28. 51
- - - FERRETI 30
- - - BYNKERSHOEKII 32
- - - excellens omnes in admirationem rapit 56
Inſtructa Iuriſprudentia quae 36. 37
Integritas, elegantiae ſoror 18. 60
Interiores literae an faciant elegantiam 9
Innentor ICtus 8. 16
IRENE, filia THEMIDIS 54. 56
Iucunditas morum in elegantiori ICto 21
I[illegible] ad elegantia oratorum 41
Iureconſulti Romani an elegantes 23. 24
Iureconſultus bellus 4
- - - elegantior 6. 7. 11. 15. ſeq.
- - - inuentor 8. 16
- - - nitidus 15
- - - optimus 11
- - - perfectus 17. 36
- - - ſolidus 8
- - - terſus 15
Iurgia exulant a ICto elegantiori 19
Iuriſprudentia coeca 39
- - - - elegantior 33. ſeq.
- - - - florens 37. 56
- - - - florida ib.
- - - - illiberalis 39. 40
- - - - inſtructa 36
- - - - maſcula 34
- - - - meritoria 40
- - - - ornata 36
- - - - perfecta 34
- - - - plebeia 40
- - - - plena 37
- - - - popularis 40
- - - - quaeſtuaria ib.
- - - - ſolida 34
Leges per ſe nihil habent amoeni 12
Legum allegatio ſaepe taedioſa 20
Logomachiae exulant a ICto elegantiori 19
Longaeua audit THEMIS 59
Lucerna, ſymbolum THEMIDIS 57
Ludicra odit ICtus elegantior 16

Maieſtas

Maieſtas ICtorum Romanorum 24
MARANI elegantia 21
MARANVS, ſponſus inofficioſus 22
Margarita ICtorum, CVIACIVS 29
Maſcula Iuriſprudentia quae 34. 50
Maſculae Iuriſprudentiae ſymbolum, ASTRAEA 3. 49
Medicus elegans 7
Melancholicus an capax elegantiae 48
MENAGIVS, aduocatus fuit 46
- - - - elegantior Iuriſconſultus 31. 32
- - - - honoraria reſpuit 46
Meritoria Iuriſprudentia 40
Mitiora ſtudia an faciant elegantiam 9
Modeſtia, uirtus ICti primaria 18. 48
Moroſi uitium fugit elegantior ICtus 20
Morum iucunditas in ICto elegantiori 21
Multiformis Dea audit THEMIS 50
Multiformis eſt elegantior Iuriſprudentia 51
MVRETI elegantia 36
Naſcitur elegantior ICtus, non fit 10
Nitidus ICtus 15
Noua placent 16
Nouitas, elegantiae argumentum 15
- - in CVIACIO laudatur 29
Nuptiarum die libris inhaerent BVDAEVS et MARANVS 22
Obſequium in ICto ſuſpectum 19. 48
Optimus ICtus 11
Oracula fundit THEMIS 59
- - - - elegantior ICtus ib.
Orator elegans 7
Orationis florem deſiderant in Stoicis 23
Oſpiti maſcula Iuriſprudentia laudatur 36
Origanum, ſymbolum THEMIDIS 57
Ornata Iuriſprudentia 36
Ornatum adſciſcit elegantior Iuriſprudentia 34. 58
Ornatus exulat a maſcula Iuriſprudentia 34
Pandectae uide *Digeſta.*
PAPINIANVS, elegantior ICtus 24
- - - - - ob elegantiam amatur ab Imperatoribus 56
Pecten, ſymbolum THEMIDIS 57
Perfecta Iuriſprudentia 34
Perfectus ICtus 8. 17
Perfectio ſine elegantia 36
Φαιδρότης eſt elegantia 13
PHILELPHI elegantia 26. 27
Philologiae nuptiae cum ICto 9
Philoſophus elegans 7
Phlegmaticus an capax elegantiae 48
Placere ſtudet elegantior ICtus 17. 58
Plebeia Iuriſprudentia 40
Plena Iuriſprudentia 37
Plenum in eloquentia ib
Poëtae uirtutes in ICto conſpicuae 11
Politiores literae an faciant elegantiam 9
- - - - - earum odium 38
Popularia non tractat elegantior ICtus 15
Popularis Iuriſprudentia 40
PVTEVS, aduocatus elegantior 42
Quaeſtuaria Iuriſprudentia 40

Quae

Quaeſtuoſae artes, quae 41
Rara placent 16
Rati, qui ad elegantiae laudem perueniunt 53
- qui ingenium colunt et exercent ib.
Reconditae literae an faciant elegantiam 9
S nguineus an capax elegantiae 48
SCAEVOLA, elegantior ICtus 25
- - - - inuentor 8
- - - - ob breuitatem in dicendo laudatur 61
Sol Iuriſprudentiae, CVIACIVS 29
Solida Iuriſprudentia 34
Solidus ICtus 8
Solus ICtus, audit CVIACIVS 29
Splendor in ICto elegantiori 36
- - in ICtis Romanis 24
Statua terminalis THEMIDIS 51
Stoici non elegantes 23
Studia elegantiora an faciant elegantiam in ICto 9
SVLPICIVS a PHILELPHO laudatur 26
Superſtitio exulat a ICto elegantiori 18. 48
Symbola THEMIDIS quatuor 57
Τεθαλυῖα cur dicta IRENE 55
Τεθαλυῖαν uoco elegantiorem Iuriſprudentiam 56
Temperamentum quoduis eſt elegantiae capax 47
Terminalis ſtatua THEMIDIS 51
Terſus ICtus 15
THEMIS integritatem denotat 60
- - - elegantiſſima Dea 2. 50
- - - ſymbolum elegantioris Iuriſprudentiae 3. 49
- - - Dea multiformis 50
- - - caſta audit 42
- - - tres filias peperit 54
- - - quatuor ſymbolis gaudet 57
- - - propinat APOLLINI Nectar et Ambroſiam 58
- - - audit fatidica ib.
- - - oracula fundit ib.
- - - longaeua audit ib.
- - - eius ſtatua terminalis 51
- - - eam Iupiter depetit 52
Θεοειδεῖς dicti quondam Heroës 58
Θεοεικέλους uocabant quondam Heroës ib.
Theologus elegans 7
DE TOURREIL, elegantior apud Gallos ICtus 56
Tranquillitas, fructus elegantiae 19. 56
TVBERO a PHILELPHO laudatur 26
Varietas, elegantiae argumentum 14. 51
- - in BYNKERSHOEKIO laudatur 32
- - in CVIACIO laudatur 29
Venuſtas ICtorum Romanorum 24
Utile dulci miſcer elegantior ICtus 16
Vulgaria non tractat elegantior ICtus 15
Vulgaris Iuriſprudentia 40

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google